

EPISTULA LEONINA

CCL

HEBDOMADALE
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ēDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
 CUI NOMEN EST
 LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-
 CCXXXIX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR: <http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONE M CONVERTAMUS. ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM QUINQUAGESIMAM (250)

ARGUMENTA

PRAEFATIUNCULA.....	03
CONCORDIA DOMI FORIS PAX.....	04
PAX VERITAS LIBERTAS IUSTITIA.....	05
HISTORIA SCIURI.....	06-23
GLOSSAE ORBIS PICTI HEXAGLOTTI (IV).....	24-33
CHRONOGRAMMATA DEMMINGIANA.....	34
CHRONOGRAMMATA ROESSLERIANA.....	35-38
EXPERIMENTUM INOPINATUM URBANUS FERRARIUS.....	39-40
ECHUS VOCES ET EPISTULAE.....	41-43
CORRIGENDA ET SUPPLENDIA.....	44
LIBRI LEONIS LATINI.....	45-48

PRAEFATIUNCULA

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS
AMANTIBUS SAL.PL.DIC.**

Cara Lectrix, Care Lector,

*utinam habeas bonam pacem sedens post fornacem Latinis
litteris deditus! Utinam fruaris symbolis Leonis Latini
sequentibus. Cena Latina tibi parata est, qua hellueris.
Ergo – ut ait Apuleius Madaurensis in Asini Aurei prooemio -
»Lector (Lectrixve) intende: laetaberis«. Recordare quoque
verba Thomae a Kempis: »In omnibus requiem quae sivi et
nusquam inveni nisi in angulo cum libro«.
Pancraticē vale et perge mihi favere.*

Medullitus te salutat

Dr. Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,


**Die Mercurii
19. m.Ian. a.2022**



CONCORDIA DOMI FORIS PAX

Haec verba Lubeccensi Portae Holstenianae a.1871 inscripta sunt loco verborum, quae iam a.1585 ibi inscripta erant: *Pulchra res est pax foris et domi concordia – MDLXXXV.* Ceterum verba *Concordia domi foris pax* interdum falso indicantur esse e Iugurtha Sallustiano excerpta; hoc non est verum. Sed aliud proverbium illustre ibi (SALL.Iug.10) invenitur: *Concordia parvae res crescunt, discordia maxima dilabuntur.*

PAX VERITAS LIBERTAS IUSTITIA



PAX VERITAS LIBERTAS IUSTITIA
PITTACIUM EPISTULARE A.1915 IN DANIA EDITUM

HISTORIA SCIURI



ECCE SCIURUS ARRODENS NUCEM AVELLANAM.

O quam lepidum animalculum!

**Sciurus ab Alfredo Edmundo Brehm (1829-1884) zoologo popularissimo
appellatus est
»simius nostrarum silvarum«.**



Sciurus vulgaris

systematica

subordo:	Sciuroomorpha
familia:	Sciuridae
subfamilia:	Sciurinae
tribus:	Sciurini
genus:	<i>Sciurus</i>
species:	<i>Sciurus vulgaris</i>

Nomen scientificum

Sciurus vulgaris

Linnaeus, 1758

Sciurus vulgaris est animal rosorium¹ familiae particeps *Sciuridarum*. Idem est unica species mesoeuropaea generis *Sciurorum*, ad quod etiam spectant *Sciurus anomalus* et *Sciurus carolinensis*, qui in Europam allatus celeriter percrebruit. Nomina sciuri in variis regionibus germanophonis usitata sunt *Eichkätzchen*, *Eichkatz(er)l*, *Eichkater*, *Eicher(li)* (Helvetia), *Eichhase* (Austria), *Baumfuchs* (Hassia), *Konradchen* (Nassovia),

¹+**rōsōrius**, -a, -um i.q. spectat ad actionem rodendi (rōdō, -ere, rōsī, rōsum). cfr <http://ducange.enc.sorbonne.fr/rosor>: „ROSOR, qui rodit. *Mures horreorum Rosores*, S. Ambrosio Serm. 81. Johannes de Janua in *Rosorius*: Dicitur hic Rosor, et hinc **Rosorius**, corrosorius, vel comprehensorius; et hoc Rosorium, Locus ubi roditur aliquid. -

Eichhalm (Virtembergia) et *Katteker* (Katzeicher) et *Ekenaape* (i.e. *simius quercuum*).



SCIURUS CAROLINENSIS



SCIURUS ANOMALUS

Mensurae et corporis structura. Sciurus structurâ corporis suâ ad modum in arboribus vivendi est accommodata. Qui pondus habet minimum 200, sumnum 400 grammorum, corpus eius a capite ad truncum extremum longitudinem habet 20-25 cm. Cauda eius pilosa 15-20 cm longa est. Quae utilissima est ad aequilibrium tenendum et saltum dirigendum. Quam sciurus currens semper tenet sublatam. Sexûs neque magnitudine neque colore pellis possunt unus ab altero distingui.



Sciuri referuntur in numerum *animalium plantigradorum*¹. In palmis pedum anteriorum habent quattuor digitos longos, valdē mobiles, qui instructi sunt falculis longis incurvis; pollicibus imminutis adhaeret exigua particula unguiculi. Pedes posteriores perlungi sunt et valdē robusti. Falculis longis et incurvis sciuri etiamsi praecipites celeriter erēpunt ad stipites laeves, tamen non decidunt.



Falculis robustis sciuri erepentes adiuvantur



Cranium sciuri (Collectio Musei Visbadensis)

Cranium sciuri est lata, plana, rotundata, crano cerebrali ôviformi, rostro brevi, angusto, alto. Cranium *Sciuri vulgaris* minus est quam cranium *Sciuri carolinensis*, cranium cerebrale est altius, processūs postorbitales sunt longiores et angustiores, et frons anterior inter cava oculorum paululum impressa. A *Sciuro anomalo* vulgaris differt etiam crano cerebrali altiore et rostro longiore, longo margine inferiore arcūs zygomatici, qui e maxillâ exoritur loco medio posterioris dentis superioris praemolaris, et maioribus bullis tympanicis, quae duobus dissepimentis sunt instructae loco trium. Contra ac *Sciuro anomalo* latitudo rami mandibulae in mediâ parte est maior quam longitudo ordinis dentium

¹ animal *plantigradum theod. Sohlengänger.


molarium. - Pro subspecie variae sunt mensurae cranii sciurorum alicuius regionis, in quā habitant. Itaque magnitudo cranii in totā Eurasiā factoribus climaticis non obnoxia a septentrione usque in austrum augetur. At in Europā haec ratio intermedia parum est clara, et mediā in Europā observatum est magnitudinem cranii augeri ab austro et ab occidente in boreoorientem. Longitudo sciuri condylobasalis est 44,0-49,3mm, longitudo basalis 40,2-48,4mm, latitudo zygomatica 29,0-35,2, longitudo nasalium 14,0-18,7mm et longitudo ordinis dentium molarium superiorum est 8,5-10,4mm. - Sciuri iuvenilis cranium desinit crescere paululo demum postquam primus annus praeteriit. Dimorphismus sexuum quoad mensuras cranii non exstat.

Dentatura. Dentatura sciuri in utrāque parte maxillae mediā instructa est dente rosorio, binis dentibus praemolaribus supra, et uno dente praemolari infra necnon tribus dentibus molaribus. Desunt autem dentes canini, numerus dentium est 22. Magnitudo dentium praemolarium et molarium a parte anteriore ad posteriorem augetur. Dens praemolaris anterior superior sciuri est parvus, formā stili, paululo introrsus positus, paene expers ullius usūs et – aliter ac in *Sciuro anomalo* – semper exstat in utrāque parte dimidiā mandibulae et maxillae. Dens praemolaris posterior superior formā et magnitudine paene aequalis est dentibus molaribus superioribus. Ita ut illi in latere ad linguam sito instructus est magno tubere semilunari et in latere ad buccam sito quattuor tuberibus. Tubera altiora, i.e. secundum et quartum regulis transversalibus coniuncta sunt cum tubere ad linguam sito. In dente praemolari posteriore in locum regulae alioquin cum quarto tubere coniunctae suppositum est tuber bene distinctum, et in dente molari posteriore ea regula deest. Dens praemolaris inferior et dentes molares inferiores sunt rhomboidei et centro impresso instructi. In quattuor angulis habent singulum tuber principale. In anteriore parte et in utroque latere est parvum tuber secundarium, quod detritione procedente evanescit. *Wiltafsky* (1978) indicat radicem in dente praemolari anteriore superiore esse unam, in dente praemolari posteriore superiore, in dentibus molaribus superioribus, in dente praemolari inferiore esse ternas, in dentibus molaribus inferioribus esse quaternas. Alveolorum autem dentalium numeros *Niethammer et Krapp* (1978) indicant tantos: ad dentem praemolarem anteriorem superiorem esse unum alveolum, ad dentem

praemolarem inferiorem esse duos alveolos, ad dentem praemolarem posteriorem superiorem, ad dentes molares superiores, ad dentem posteriorem inferiorem esse tres alveolos, ad dentem molarem inferiorem anteriorem et medium esse quattuor alveolos. - Denti praemolari posteriori et superiori et inferiori praecedunt dentes decidui, qui decidunt aetate 16 septimanarum. In sciuris iuvenilibus dens praemolaris posterior superior multo minor est quam dentes molares, eius acies posterior semper est valde detrita, et una cum acie anteriore dentis molaris anterioris superioris efficit aream mansoriam. Detritione dentium, praemolarium molariumque et crescentia caementi radicalis iidem etiam adhiberi possunt ad aetatem sciuri determinandam.

$$\frac{1 \cdot 0 \cdot 2 \cdot 3}{1 \cdot 0 \cdot 1 \cdot 3} = 22$$

Formula dentaria sciuri



Sciurus pelle aestivâ indutus

De sciuri pilis et colore

Pellis est densa, brevis, sericea vel crassior (8.000-10.000 capillorum pro centimetro quadrato). Longitudo capillorum in naso est 3-11 mm (valor

medius 5,9mm), in ventre 13-13mm (valor medius 16,4 mm), in dorso 17-23mm (valor medius 22,5mm). In basi capilli sunt diametro 0,04 mm, in regione aristae diameter est summum 0,12 mm. Pili lanei sunt variae longitudinis, undulati vel spirales. Eorum diameter est 0,010–0,015mm. Qui versus aristam versusque bulbum acuminantur. Capilli aurium adulti penicillei sunt 3–5cm longi, pili caudales 5–8cm longi, interdum etiam summum 10cm longi. - Color pellis superioris variatur a lucidê-rubro usque fusco-nigrum; latus ventrale est a pelle dorsali clarê distinctum, albi aut cremei coloris. Pellis sciuri hiemalis multo densior est quam aestiva. Hieme color pellis saepe fit obscurior, interdum etiam griseus. Sciuri si sunt pelle hiemali induti penicillos aurium habent coloris rubro-fusci, longitudinis summum 3,5 cm. Si sciurus gerit pellem aestivam, hi penicilli aurium sunt parvi aut desunt. Hieme praeterea etiam plantae pedum, quae alioquin sunt nuda, sunt pilosae.



Color pellis est obscurê-fuscus.



Autumnalis pellis penicillis aurium instructa.



Ecce sciurus pelle hiemali indutus.

In terrâ continentí europaeâ sciuri saepe sunt *albinismo* atque *melanismus* insignes.

Bis in anno sciurus mutat pellem. Mutatio pilorum vernalis procedit a capite ad dorsum et latera corporis usque ad clunes, mutatio pilorum autumnalis procedit directione contrariâ, incipit a radice caudae, finitur ad caput. Aures et cauda pilos non mutant nisi semel in anno. Primo tempore vernali excidunt pars capillorum aristaceorum et tota lana caudae inferior. Deinde aestate pili caudales penitus renovantur, primo mediâ in parte, in fine versus latera. Pili aurium penicillei crescunt ab aestate usque ad hiemem ineuntem. Mutatio pilorum vernalis aliquanto diutius fit quam mutatio pilorum autumnalis. Sciuri feminae aliquanto serius incipiunt pilos mutare quam mares, desinunt catulos parientes.



Regio palaeoarctica, per quam sciurus vulgaris est distributus complectitur totam ferê Europam Britanniâ maiore et Hiberniâ inclusis necnon magnas partes Asiae borealis, quae pertingunt ab Uralianis Montibus versus orientem usque ad lîtus Oceani Pacifici in Camsatcâ situm et Sinarum rem publicam popularem et Coream et insulas

Sachalinam et Hoccaidonem. In Europâ sciurus nusquam deest nisi in Angliâ australi-orientali et in Hispaniâ australi-occidentali et in Lusitaniâ australi nonnullisque Italiae regionibus. In regione balcanicâ sciurus sparsim tantum invenitur et deest in plerisque insulis Maris Interni. In Turciâ sciurus inhabitat Thraciam orientalem et partem boreo-orientalem. Sciuri in montibus inveniuntur usque ad altitudinem 2000 metrorum, secundum alios auctores usque ad 3100 metra in Alpibus. Biotopi sciuri typici sunt plerumque silvae coniferarum boreales. In silvis frondosis et mixtis sciuri non vivunt nisi in Europâ. Cum soleant sequi hominum culturam, ibidem saepe inveniuntur in viridariis hortisque.

Sciuri activitas atque modus vivendi



Sciurus praeceps de arbore nitens



nidus sciuri



**Sciurus catulum transportat
formâ corporis rigidâ**



Sciurus catulum manibus tenens

Sciuri vitam agunt diurnam. Hae bestiolae habilissimē in arbores connituntur seque pulsatim promovent, eius motiones fiunt rapidē et accuratissimē sive connititur in stipitem arboris sive in parietem domūs exteriorem asperum sive sursum sive praeceps deorsum. Si deorsum nituntur, brancas posteriores torquent extrorsum et retro. Uno tantum saltu salire possunt per distantiam quattuor vel quinque metrorum. Sciuri propter pondus suum parvum audent etiam salire in ramos valdē tenues; semper salientes se promoventes superant omnem persecutorem. Etiam humi se movent saltibus, non gradu citato ut alia quadrupeda, quo ibi facile fit, ut corripiantur a canibus aut cattis, in viis etiam possint obteri autocinetis. Etiam etiamque saepius spectantur sciuri cultūs civilis humani secutores etiam niti in domorum parietes exteriores, si quidem parietibus insunt aliquae projecturae, et in maenianis et xystis tectorum ab hominibus cibari aut ipsi nutrimenta quaerere, velut grana domunculae aviariae. Ad dormiendum et quiescendum sciuri construunt nidos sive cubilia, quae theodiscē appellantur *Kobel*.

Haec cubilia sunt aedificiola formae hemisphaericæ. Quae imponuntur furcae ramorum aut basi rami, plerumque in altitudine plus sex metrorum. Diameter talis nidi est 30-50 cm. Cubile a sciuro aedificatur ex ramis,

saetis coniferarum, foliis, intra farcitur muscis, foliis, graminibus. Hoc aedifiolum paene aquae est impermeabilis; parietis crassitudine hieme bonum est tutamentum calorificum. Cubilia sciurorum minimum habent duo foramina, exeundi et ineundi, quorum unum semper deorsum est directum, quia sciuri, aliter ac aves, habitaculum intrant ex loco inferiore. Cubile aedificatur per 3-5 dies. Quia saepe fit, ut sciuro propter invasionem parasitorum aut propter perturbationem habitaculum sit mutandum, is duos vel summum octo aedificat nidos eosque inhabitat irregulari vicissitudine. Ceterum sciuri distinguunt nidos dormitorios nocte tantum inhabitandos a nidis umbriferis, qui adhibentur ad quietem diurnam. Sciurus autem libenter inhabitat speluncas a picis relictas, item nidos avium relictos, qui sibi sint fundamenta cubilium propriorum.

Sciurus per totum annum activē vivit, non hibernat. At si hiems saevit gelidissima, etiam sciurus minus agilis est et aliquamdiu nidum non relinquit (quietem habet hiemalem). Aestatibus valdē calidis sciuri solent diutulē meridiari. Diebus fervidis non circumvagantur nisi primā luce aut vespere, ut sibi comparent nutrimenta.

Spatia actionis. Magnitudo spatiorum, in quibus sciuri agunt, pro regione variantur. In insulis sunt sciuri qui se movent intra spatum, quod complectitur minus quam unam hectaream, cum spatum agendi in Silvâ Bavariacâ potest pertingere usque ad 47 hecatareas.

Mares maiora habent spatia agendi quam feminae. In Angliâ sciuri mares habent 23-40 hectarea, intra quas se movent, feminae minimum 14-26 hecatareas. Spatia agendi variorum individuorum partim unius cum alterius congruunt. Si feminae catulos habent, augent magnitudinem spatii activi. Intra tale spatum viae et stationes signantur urinâ et liquore, qui secernitur e glandulis menti.

Consuetudines sociales. Sciuri plerumque sunt segreges solitarii. Mares feminas intra culmina arborum non perseguuntur nisi tempore copulationis. At interdum etiam extra tempus copulationis gregatim vivunt; si ita est, complures sciuri eodem nido utuntur. Intra gregem dominantur maiores et aetate proiectiores. Mares non semper dominantur feminis maioribus et aetate proiectis, sed dominantur feminis eiusdem magnitudinis et aetatis.

Nutritio. Sciuri sunt bestiae omnivorae. Nutrimenta eorum pro tempore anni variantur. Quae sunt imprimis bacae, nuces aliique fructūs necnon semina. Praeterea etiam gemmae, cortex, sucus arborum, flores, lichenes, grana, fungi, poma necnon animalcula invertebrata, velut vermes. Etiam ova et pulli avium et insecta, larvae, cochleae a sciuro non respuuntur. Sciurus cibum vorans solet manibus tenere anterioribus. - Sciuri in die consumunt sumnum 100 conos pinuum; per medium cottidie 80-100g. Sciuri conos pinuum eo aliter deglubunt quam aliae bestiae rosoriae, quod squamas conorum tectorias, quo sunt robore corporis magno, prorsus abripiunt. E contra mures hoc non possunt, sed squamas mordendo absecant, ut accipient semina nutribilia. Sciuri avellanas atque iuglandes aperiunt intra paucas secundas. Dentibus incisoris inferioribus scabentes primo rodendo nucem perforant. Si foramen est sat magnum, inferiores dentes incisorios tamquam vesticulum adhibentes partem putaminis expulsant. Haec consuetudo didicerunt; iis non est nativa. Sciuri extra nutrimenta comesa egent aquā additiciā.



En sciurum nucem vorantem!

Autumno sciuri penora colligunt ad hiemem degendam. Itaque maximē valet eos sat multum nutrimenti invenire, ut promptuarium compleant. Hoc non semper contingit, hiemibus gelidissimis interdum multi sciuri fame pereunt. Qui nutrimenta aut fodiendo humum abdunt, saepe prope radices arborum, aut eadem condunt in fissuris corticis aut furcis ramorum, ut habeant penora hiemalia. In nido nulla condunt penora. Suffossio nutrimentorum semper fit eodem modo: pedibus humum radunt, nutrimenta imponuntur, humum obruunt, comprimunt, rostro impellunt.

Hieme penora saepe sunt unica sciurorum nutrimenta. Si sciurus penora obruta obliviousit, semina vernali tempore germinant. Itaque sciuri dicuntur multum valere ad silvam renovandam. Ad penora autumno collecta redinvenienda maximē valet sciuri sensus olfactorius. Etiamsi sciuri nonnulla penora suffossa recordantur, tamen non possunt omnes latebras memoriae suae imprimere.



Ecce sciurus cicuratus!

Penora praecipue suffodiuntur a sciuris europaeis silvas frondosas mixtasque incolentibus. In silvis coniferarum borealibus sciuri rarius hoc faciunt, quia ibi hieme quoque habent conos comedendos. - Quibusdam locis sciuri liberē viventes ita assuescunt ad homines, ut nutrimenta oblata directē ex manu hominum comedant, velut *Arosae* in oppido Helvetiae in viā quae dicitur *Eichhörnli-Weg*, i.e. *Via sciurorum*. In viridario Lipsiensi *Clarae Zetkin* sciuri sine ullā verecundiā nutrimenta devorant e perulis hominum in biselliis sedentium. In viridario *Castelli Pilnitziensis* prope *Dresdam* siti hae bestiolae item manu cibari possunt. - Ceterum sciuri fungos quosdam devorant, qui hominibus sunt venenosi.

Prolis propagatio, pueritia, adulescentia

Copulatio. Inde ex mense Decembri exeunte sciuri inter se copulari observantur. Frequentia coeundi pendet a spatio vivendi atque copiā nutrimentorum. Mares alliciuntur secretis vaginalibus, quae secernuntur a feminis catulientibus. Maribus appropinquare conantibus persecutions fiunt vehementissimae. Si feminae ad coitum nondum paratae sunt, fiunt pugnae. Ubi primum feminae paratae sunt, venationes coeundi fiunt lusūs. Femina ante coitum reddit aliquantum lotii. Interdum mari per integros dies exspectandum est, usque dum possit feminam inire. Cum tandem finem assecutus sit desideratissimum, lumbos feminae complexus eandem

a tergo init caudâ erectâ. Plerisque annis duo sunt tempora coeundi, unum hieme, alterum inde a vere exeunte, quo feminae pariant inter menses Maium et Augustum. Si anno ineunte parum restant penora, potest primum excidere tempus coeundi. Si complures mares convenient feminam, potest fieri, ut inter se pugnent clamando atque mordendo. Sciuri sunt polygyni – mares feminam mox relinquentes novas coniuges petunt, catulos educandos non respicientes. Si qui mas usque ad partum catulorum prope feminam versatur, si tardissimê, nunc a feminâ mordetur. Hôc momento temporis sciurus mas quodam instinctu naturali impeditus se non defendit, etiamsi insigniter robustior est quam femina; deinde idem sine pugnâ abit.

Educatio catulorum



Mater tres catulos mammans



Sciurus catulus



**Ecce sciurulus nonnullas
tantum septimanas natus**

Graviditate 38 dierum finitâ unus vel summum sex catuli nascuntur. Iidem pariuntur nudi et surdi et caeci; itaque a biologis referuntur in numerum *insessorum nidi*. Sciuri neonati pondus habent circiter 8,5 chiliogramma, longitudinem corporis circiter 6 centimetrorum, caudae summum trium. Catuli post tres septimanas integri obtecti sunt primâ lanugine; simul primi dentes perfringuntur. Catuli post 30-32 dies oculos aperiunt. Inter diem tricesimum septimum et quadragesimum primum dentes incisivi superiores e maxillâ perfringuntur. Post sex septimanas catuli primo nidum relinquunt, post octo vel summum decem septimanas non iam mammantur et suo marte quaerunt nutrimenta. Si quod periculum imminet, matres catulos rostro correptos rapidê ferunt in aliud cubile.

Sciuri iuveniles adhuc per nonnullos menses manent prope nidum maternum. Sciuri pubescunt iam post undecim menses, sed plerumque post duos demum annos ipsi prolem educant. Circiter 80% (octogenae partes centesimae) catulorum primum annum non superant. Si qui sciurus sex menses priores superat, restat eidem per medium spatum vivendi trium annorum. Raro sciuri assequuntur aetatem septem annorum, capti si coluntur, interdum ad plures eunt decem demum annos nati.

Sciuri hostes voratores et parasiti

In numerum hostium sciuri voratorum referendus est *meles* sive *martes*¹. Qui paene tam habiliter connititur in arbores quam sciurus. Cum sciurus die pondere suo minore commodum habet, meles nocturno tempore venans sciurum libenter aggreditur dormientem. Aliae bestiae, quibus sciurus voratur, sunt *felis silvestris*, *bubo*, *accipiter*, *buteo*. Sciuri aves rapaces saepe eo effugiunt, quod stipites arborum circumcurrunt motibus circularibus. Sciurus in summas angustias adductus ex magnâ altitudine humum saliens advenit salvus. Sciuri catuli in cubilibus cubantes saepe opprimuntur a mustelis. In viridariis hortisque hostis sciuri periculosissimus est *cattus domesticus*.

Sciuri invaduntur a multis ectoparasitis, quorum praestantissimi sunt *Monopsyllus sciurorum* et *Neohaematopinus sciuri*. In Britanniâ maiore investigatores sciuros perscrutati invenerunt bacteria pathogena, quibus partim sciuri in morbum inciderent mortiferum. Quae fuerunt

¹ **mēlēs**, -is f. i.q. angl. *marten*, theod. *Marder*; sed apud Plinium hoc nomen spectat ad taxonem (angl. *badger*, theod. *Dachs*). +**martēs**, -is f. est nomen mediaevale, quod invenitur apud zoologos.

Mycobacterium leprae et *Mycobacterium lepromatosis*. Verisimile est haec bacteria olim ab hominibus ad sciuros transgressa in bestiis permanerunt.

Ordo sciurorum systematicus

Sciurus vulgaris species propria iniungitur generi *Sciurorum*, quod hodie complectitur 28 species. Prima descriptio sciuri scientifica facta est a Carolo Linneo, qui *Sciurum vulgare*m in decimâ editione *Systematis naturae* a.1758 factâ descriptsit et attribuit generi a se primum descripto *Sciurorum* uni ex sex generibus animalium *Rodentium*. Quod genus praeter *Sciurum vulgare*m etiam continuit *Sciurum nigrum*, *Sciurum cinereum*, *Sciurum volantem* (qui hodie appellatur *Pteromys volans*), *Sciurum getulum* (cuius nomen hodiernum est *Atlantoxerus getulus*), *Sciurus striatus* (hodie: *Tamias striatus*), *Sciurus flavus*, quem hodie nescimus attribuere generi moderno.

Propter varietates coloris pellum descriptae sunt plus 40 subspecies sciuri. Nam in Europâ ab austro ad septentrionem et boreo-orientem color pellis sciurorum mutatur in griseum colorem puriore. Nonnullis in regionibus simul inveniuntur typi rubelli et nigelli. E conspectu Montium Uralianorum pellis sciurorum versus occidentem fit planior et lucidior, color in Europâ occidentali et mediâ variatur a rubello usque ad obscurê rubrum. Versus orientem pellis fit plenior et obscurior, obscurissima est in Sibiriâ orientali. Nonnullarum specierum status taxonomicus est incertus, et singuli auctores zoologi inter se differunt numero subspecierum. Ordo systematicus 23 subspecierum necnon attributio nonnullorum synonymorum confectae sunt a *Thorington et Hoffmann* (a.2005).

Quantum periculum immineat et quae tutela sciuris sit concedenda.

Status generalis

IUCN (*Internationalis Unio Conservationis Naturae*) declarat speciem *Sciuri vulgaris* propter permagnum spatium distributionis et numerum populationum nullo in periculo versari. Ratione globali nullum periculum existentiale cognoscitur, quamquam in singulis regionibus sciuri rarescant propter spatia vivendi deminuta et dissecta. - Praecipuê in Mongoliâ venatione sciurorum pelliariâ et mercaturâ pellum sciurinarum periculum est, ne sciuri nimium rarescant. - In Germaniâ secundum praecepta species tutandi foederalia *Sciurus vulgaris* consideratur una e speciebus eximiâ

tutanda. Itaque non licet sciuros venari, capere, necare, privatim colere. Item non licet cubilia sciurorum auferre et evacuare.

Sciurum carolinensem competitorem esse Sciuri vulgaris. *Sciurus carolinensis* a zoologis dicitur esse in Europâ neozoon; nam eadem species ex Americâ boreali saeculo undevicesimo demum in Britanniam Magnam et Hiberniam et Italiam necnon in Germaniam introducta est. Qui competitor sciurum patrium eo superat, quod penora autumno suffossa maiore cum sagacitate redinvenit (meliore memoriâ videtur valere quam sciurus noster indigena) necnon etiam utitur penoribus competitoris. Ita fit, ut in regionibus, ubi utraque species sciurorum vivit, vulgaris noster sciurus a competitore carolinensi superatus magis magisque dramaticê rarescat. Itaque tutores naturae timent, ne *Sciuris carolinensibus* in annos vehementius in continentem invadentibus existentia speciei vulgaris in periculum subducatur. At praestantia *Sciuri carolinensis* non valet nisi in silvis frondosis et mixtis, sed in silvis coniferarum *Sciuro vulgari* adhuc bene contigit, ut se defendat contra competitorem.

Accedit, quod *Sciuri carolinenses* non in morbum incidunt vîro parapoxico infecti, sed idem vîrus transferunt ad *Sciuros vulgares*, qui isto vîro infecti saepe moriuntur. Disquisitionibus britannicis inventum est plus sexagenas centesimas *Sciurorum carolinensium* vîro infectas esse et in iis regionibus, ubi virus grassaretur, numerum *Sciurorum vulgarium* vicies celerius deminui quam in regionibus a vîro parapoxico vacantibus. - Ceterum in Italiâ usque nunc istud vîrus nondum est inventum.

In Hiberniâ investigatores e disquisitione factâ concluserunt populatione mêlium (nomen scientificum: *Martes martes*) sufficienti impediri posse, ne numerus *Sciurorum vulgarium* nimium deminueretur a *Sciuris carolinensibus*. Nam *vulgares* putant eo securiores esse a melibus, quod agiliores sunt rariusque humi versantur quam *carolinenses*.

Sciurum vulgarem in Iaponiâ neozoon esse. Imprimis in Iaponiâ, ubi sciurus non est indigena, introducta saepe colitur bestia domestica. At eodem in naturam exposito in periculum subducitur species sciurorum Iaponica, quae a zoologis appellatur *Sciurus lis*.

Sciurus quatenus referat ad cultum civilem hominum.



Ecce sciurus *Ratatöskr*
in *Yggdrasil* fraximum mundi erepens.
Imaguncula codicis islandici saeculi 17.i

Cum Graeci putaverint sciurum posse caudâ suâ ingenti ipsos sibi umbram facere, ei nomen indiderunt, q.e. σκιοῦρος, i.e. *cauda umbrae*.

In mythologiâ nordicâ narratur de sciuro nominis *Ratatöskr*, qui ad stipitem fraxini mundani, qui appellatur *Yggdrasil*, sursum et deorsum erêpit. - Pelles sciurorum antiquitus adhibebantur ad vestimenta conficienda, tales pelles in Germaniâ appellabantur *Feh*. Pelles hiemales subspecierum sibiricarum *Sciuri vulgaris*, quae sunt dorso caeruleo-griseo et ventre albo, habebantur pro pretiosissimus. Pellis sciurina tractata in insignibus heraldicis monstratur ordinis symbolum. Ex reliquiis neolithicis in Helvetiâ inventis concluditur sciuros prius etiam ab hominibus esse comesos.

Urbs Germanica, cuius nomen est *Eckernförde* et oppida *Westensee* et *Emkendorf* e.al. insignia habent heraldica imagunculâ sciuri ornata.

**SYMBOLAM WIKIPEDIANAM
DE SCIURO SCRIPTAM
LATINE REDDIDIT
LEO LATINUS**

GLOSSAE

ORBIS PICTI HEXAGLOTTI (IV)

acinus, -ī m.

117

Weintraube - grape – raisin – vid – acino

i.q. baca, fructus vitis (uva), māli Punici, hederae, sambuci, physalidis e.sim.

syn. ūva, -ae f.

ThLL 01,414,38: **acinus** m. vel **acīnum** n., **rarius** et **acīna** f. [inc. orig. Th.J ... lin.59: 1 de v i n o:... col.415, lin.27sqq.: 2 de aliis herbis : PLIN.nat.13,113 blandiores acini mali Punici (15,39 acinus sub cortice intus. 27,44 semen simile Punici mali acinisi). 15,84 setaniae...acini molliore ligno. 16,146 alii (hederis) densus acinus et grandior (147,152 amaritudo acini). 16,154 *smilax* complexa acinis maioribus nucleos ternos. 180 sabuci acinos habent nigros atque parvos. sic de variis: 16.254.248.21,177. acini coccini granosi in folliculis 22,29. 23,106 nec carne acinorum, utili nec suco. 108 acinis detracto cortice tunsis. 23,113.24,11 commanducantes acinos expuunt cortices. 24,52.74.77.78.80.82.83 comantibus acinorum corymbis. 121,25,116. 27,68. SER.SAMM.582 proderit ex parvis acinos potare sabucis. MARC.med.28,30 acini sive corymbi hederae tres contriti. DIOSC.5,2 (bis) acinas (4,48. 4,69). 5,8 succum acinarum. *generaliter de fructus forma:* PLIN.nat.15,96 alia acinis caro, alia moris, alia umedonibus et alia acinis inter cutem succumque, alia myxis, alia bacis, alia olivis. 15,100. 101 medio...genere inter bacas acinosque cerasis. 13,42 acinis quam balanis similiores *palmæ...*

Walde-Hofmann, Lateinisches etymologisches Wörterbuch, 4.ed., tom.1, Heidelberg 1965, p.8 sq. s.v. acinus: »acinus, -i m. "Beere", *acīna* n.pl., "Traube", *acīna*, -ae f. (spälat....) : unsicherer Herkunft, als Ausdruck der Weinkultur vl. Mittelmeerwort...»

acinus herbae vēsicāriae

254

Blasenkirsche, Judenkirsche - Cape gooseberry – alkékenge – grosella amarilla – ribes del capo

syn. acinus phȳsalidis planta: **vēsicāria**, -ae f., **phȳsalis**, -idis f.

PLIN.nat.21,177...cui acini coccini, granosi in folliculis, halicacabon vocant, alii callion, nostri autem **vesicariam...**

nomen botanicum: *Physalis alkengi*

Herba vesicaria est planta, quae a botanicis attribuitur generi, cuius nomen est *Physalis*, particeps familiae *Solanacearum* (eiusdem familie species aliae notissimae sunt *Solanum tuberosum* et *Solanum lycopersicum!*). Pleraeque species huius generis botanici (quae species sunt circiter 75 vel sumnum 90) nascuntur in terrâ continentí americanâ, unicum genus europaeum est *Physalis alkengi*; huius speciei plantae fructus est hic quem tractamus. Tales fructûs integri circumcluduntur calyce floris lanternae simili. Nonnullae species huius generis, e.g. *Physalis peruviana*, coluntur plantae pomariae et holeraceae, aliae species adhibentur ad decoramenta facienda.

Acinus ipse est globosus vel leviter planatus, 4–7 aut 10–16mm (20mm) latus. Pro specie acini maturi sunt aut virides aut flavi aut coloris mandariniani, partim etiam rubri aut violacei. Qui continent magnum numerum (100-180, in nonnullis speciebus tantummodo 5-16) seminum parvorum, lentiformium, lucidè flavi-fuscorum. Quae magnitudine sunt 1,5-2,4 mm et circumdata sunt cellulis parenchymaticis, quarum origo sunt placenta atque pericarpium. Superficies seminum est reticulosa aut faveolata aut plicato-verrucosa. Embryo autem est tortilis aut paene tortilis, cotyledones sunt breviores quam embryo reliquus, endospermate abundant.

Paucae sunt species *Physalidum*, quae habent vim oeconomicam. Inter eas sunt *Physalis peruviana*, cuius pomum comeditur, necnon *Physalis philadelphica*, quae praecipue tamquam holera colitur in Mexico et in Civitatum Unitarum regione australi. Cum *philadelphica* in supermercatibus germanis paene ignota sit, *peruviana* cum aliis tum ubertate pomorum extraordinariâ adhibetur ad res decorandas. Eadem praecipue colitur in Africâ, Americâ australi, Indiâ, Iavâ et in totam partem mundi reliquam exportatur. Aliae terrae *Physalidis peruvianae* colendae sunt Australia et Kenia et Neozelandia et Francogallia meridionalis. Messis praecipua fieri solet a mense Decembri usque ad Iulium. In Germaniâ haec species plerumque venditur sub nomine generis, quod est *Physalis*. Rarius coluntur pomorum causâ *Physalis grisea* et *Physalis pruinosa*. At fructûs aliarum specierum huius generis sapore sunt minus iucundo. - Et in europaeis libris herbariis et in vetustis praecipitis Americae incolarum indigenarum *Physalides* dicuntur adhiberi posse ad morbos viae mictualis sanandos. Bacae *Physalis alkengi* coccineae comedî possunt, sed a quibusdam auctoribus dicuntur esse venenosae. Planta ipsa propter calyces florum, qui sunt arancio colore, decoramenti causâ in deliciis est.

acinus ph̄ysalidis

254

v. acinus herbae vesicariae

acipēnser, -eris m.

266

Stör – sturgeon – esturgeon – esturión - storione

nomen. zool. Acipenser spec.

ThLL 01,415-416,27 V. Diehl: **acipēnser, vestustius acupēnser vel aquipēnser**, -is m. [inc. orig. Th.] rara forma acipensis MART.13,91 tit. et v.1 acipensem acc. eadem latere in corruptelis codicum PORPH.Hor.serm.2,2,47 et 48. ἀκιτήσιος Graeci. ATHEN.7p.294 F, ἀκιτήσιν GLOSS., ἀκιτητίου LYD.mag.ind.2,14, idem tamen mag.3,63 ἀκιτήσερα acopenser POL.SILV. (chron.min.I) p.544,8. c geminatur passim male. Quisnam piscis sit dubitatur (cf. A. Marx, PW 1260); constat eum fere gloriam habuisse cibi pretiosissimi, multa de eo: MACR.sat.3,16,1 nec acipenser, quam maria prodigis nutrunt, illius saeculi delicias evasit et ut liqueat secundo Punico bello celebre nomen huius piscis fuisse, accipite ut meminerit eius PLAVTVS in fabula quae inscribitur Bacaria (bach. codd.) ex persona parasiti...haec ventri portat pompa...qui mihi in mari acipenser (prior c del. P, acipenser B) latuit antehac, cuius ego latus in latebras reddam meis dentibus et mandibulis (manibus codd.)...haec sunt in dialogo de fato verba CICERONIS (frg.5)...adlatus est forte Scipioni accipenser (prior c del. P), qui admodum raro capitur, sed est piscis, ut ferunt, in primis nobilis (hinc GLOSS.Plac.5,4,17 et 44,6 accipenser [accipenser] genus piscis ut raro inventum, id est nobile)...Pontius 'Scipio' inquit 'vide quid agas (i. noli multos in cenam vocare), accipenser (acip. P) iste paucorum hominum est'...nec infitias eo temporibus Traiani hunc piscem in magno pretio non fuisse teste PLINIO Secundo (9,60)...sed non diu stetit haec parsimonia, nam temporibus Severi...SAMMONICUS SERENUS...scripsit gratiam eius video ad epulas quasi postliminio redisse, quippe qui...convivio sacro (i. Caesareo) animadvertisca hunc piscem a coronatis ministris cum tibicine introferri. Sed quod ait Plinius de accipenseris (acip. P) squamis, id verum esse ...NIGIDIVS FIGVLVS ostendit, in cuius libro de animalibus quarto ita positum est "cur alii pisces squama secunda, accipenser (acip. P) adversa sit". Haec Sammonicus. PAVL.FEST.22,13 aquipenser genus piscis (cf. NON.550 GLOSS.II18,44). PLIN.nat.9,60 apud antiquos piscium nobilissimus habitus acipenser (acc. nonnulli codd.) unus omnium squamis ad os versis contra quam in nando meant, nullo nunc in elopum vocant (scil.Apin cf. Athen.7 p.294 F). GLOSS.II18,44 et bis etiam: aquipense γαλέός (γαλοῖος vel galios codd.) cf. Archestr. Apud Athen.7 p.294E. GLOSS.III186,50 ἀκιτήσιον accipisci. LVCIL.1003 omnia in ista consumis squilla atque acipensere (accubans aere codd.) cum decumano CIC.fin.2,91 se acipenserem maenae non anteponere. 2,25 nec lapathi suavitatem acipenseri Gallonii Laelius anteponebat: Tusc.3,43 si quem tuorum afflictum maerore videris, huic acipenserem (acip. var.l.) potius quam aliquem Socraticum libellum dabis? HOR.sat.2,2,46 haud ita pridem Galloni praeconis erat acipensere mensa infamis. OV.hal.134 tuque peregrinis acipenser nobilis undis (cf. PLIN.nat.32,145 et 153). MART.13,91 ad Palatinas acipensem mittite mensas, ambrosias ornent munera rara dapes. AMBR.hexam.5,1,2 tibi suos fructus terra producit, tibi scaros et acipenseris. HIER.epist.45,5 de comeso acipensere gloriariis. V. Diehl.

Forcellini, tom.I, p.55, s.v. **ACIPÉNSER**, eris, m. 3; et etiam acipensis, is, apud Martial. Loc.inf.cit.; et aquipenser (eodem modo *incolo et inquilinus*, aliaque hujusmodi) apud *Paul.Diac.* p.22.13, ubi haec Müller: Acipenserem ab *acu et pesna*, id est *penna*, dictum esse, bene observabit Salmas. Exerc.Plin. p.941. col.2.a., nisi quod penna rectius crista, quam rostrum piscis dici videtur. Certe graecum ἀκιτήσιος e Latino, non Latinum e Graeco ductum est, ipso Athenaeo 7,p.294. f. teste. Hinc male nonnulli apud Martial. Leg. Acipenser, quae Graeca est positio; et qui acipenser, vel accipensis scripserunt dupli c, male scripserunt. - Est autem piscis nobilissimus apud antiquos, magnoque in pretio et honore habitus, adeo ut a coronatis ministris, tibicine etiam concinente, eum in mensam inferre mos fuerit, ut scribit Macrob.2.Saturn.12. Afferens in testimonium ejus rei verba Sereni Sammonici. Plinii tamen temporibus nullo in pretio habebatur, quod miratur ipse 9.Hirt.nat.17.27.(60), et cf.32 ibid. 11.53.(145). Postea rediit ejus gratia ad epulas quasi postliminio, eodem Sammonico loc.cit. teste. Lucilius apud Cic.2Fin.8.24. O Publi, o gurges, Galloni: es homo miser, inquit. Coenasti in vita numquam bene, cum omnia in ista consumis squilla atque acipensere cum decumano. Cic. Fragm. De Fato apud Macrob.ibid. Acipenser iste paucorum hominum est. Id.3 Tusc.18.43. Huic acipenserem potius, quam Socraticum libellum dabis? Horat.2.Sat.2,47. Haud ita pridem Galloni praetorius erat acipensere mensa infamis. Ovid.Haliut.132. Tuque peregrinis acipenser nobilis undis. Martial.13.91. Ad Palatinas acipenserem mittite mensas. (Acipensis legitur etiam in titulo ejus epigrammatis). - NB. Haec ad usum vocis dicta sint. Quodnam vero piscis genus hoc nomine significetur, nihil certi affirmare possumus. Qui eundem ac helopem seu elopem esse putarunt, refelluntur auctoritate Ovidii Haliut. ubi alterum ab altero secernit, et Columellae, qui I.8.c.16. Scribit, solo Pamphylio mari helopem pasci. Plin.9.17.27./60) haec ait: Apud antiquos piscium nobilissimum habitus acipenser unus omnium squamis ad os versis: contra aquam nando meat. Harduin ex MSS. legit contra quam in nando meant, hoc est contra quam in natando ceteri pisces omnes meant; nam illi quia squamas habent ad caudam versas, secunda squama nare dicuntur, at adversa acipenser, quia ad os versas squamas habet. Rondeletius I.14c.ult. cum Scaliger, et Aldrovando I.4.v.9 arbitratur esse storione Italorum, sed hic fluvialis est etiam, nec solum marinus, nec squamas habet ad os versas. Salmasius quoque in Exercit.Plin.p.1316. diserte negat, acipenserem esse storione. Alii silurum esse putant, aliis tursionem. Viderint Ichthyographi."

Leitner (Helmut Leitner, Zoologische Terminologie beim Älteren Plinius, Hildesheim 1972, p.7 sq., Latinē reddo): **Nomen antiquum ad quam spectet speciem ichthysologicam**. Plinius maior in Historia sua Naturali de acipensere refert haec (PLIN.nat.9,60): "apud antiquos piscium nobilissimum habitus acipenser, unus omnium squamis ad os versis contra quam in nando meant..." Sed nullus piscis est, cuius squamae a cauda versus caput sint versae. Itaque Thompsonio hic locus videtur esse corruptus, qui opinatur Plinium veterem errorem recepisse; nam quia acipenseris peculiaritas in eo sit, quod eius squamae in ossa conversae sint, sensus originalis huius loci videtur fuisse hic: "squamae in os<sa> conversae". In catalogo piscium Plinius (nat.32,145) commemorat hunc pisces esse "peculiarē maris"; quae adnotatio est recta, sed acipenser ad ova parienda natando ascendit per flumina. Zoologi inter se consentiunt acipenserem Plinianum esse *Acipenserem storionem*. Inhabitat maria europea excepto Ponto Euxino. - 9,60 Plinius addit haec: "Quidam eum elopem vocant." Synonyma esse acipenserem et elopem dicit etiam Athenaeus VII,p.294F.: Αἴτιον δ' ὁ γραιματικός...τὸν ἔλοπα τοῦτον φησι εἶναι τὸν ἀκιτήσιον et PLIN.nat.32,153 hunc errorem corrigit propter textum Ovidii (Halieutica 96): "Helopem dicit (sc. Ovidius) esse nostris incognitum undis, ex quo appetat falli eos, qui eundem acipenserem existimaverint." - Codices tradunt et formam aspiratam (helops) et non aspiratam (elops). Ovidius loc.cit. dicit: "pretiosus helops, nostris incognitus oris". Similitudo autem horum piscium duorum est ergo permagna; nunc si verba Ovidii quadrare, secundum quae additamentum sit indici falsam esse nominum aequationem, concludendum est elopem esse *Acipenseridarum* pisces minimum, i.e. *Acipenserem ruthenum*. Qui non invenitur nisi in Ponto Euxino et in regionibus Maris Interni orientalibus. Adiectivum, q.e. "pretiosus" (cfr LUCIL.fr.inc.51 M.: *praeclarus*) et verba nat.32,153 allata optimē congruunt cum specie q.e. *Acipenser ruthenus*. G. Schmid sentit Plinium (nat.9,60) non loqui de *Acipensere rutheno*, sed de *storione*, quia verba eius spectent ad *Acipenserem* in Mari Interno versantem. Etiam Aelianus n.a. VIII,28 sentit ἔλοπα esse *storionem*. Athenaeus quidem acipenserem (ἀκιτήσιον) aequat elopi (ἔλοψ), sed fidem auctor indicat ἀκιτήσιον praedicari esse cibus delicatissimus; cum autem reverâ caro acipenseris storionis sit sapidissima, licet opinari antiquâ aetate unum pisces cum altero esse confusum. Attributo, quod apud Ovidium in Halieuticon lin.134 afferatur (*tuque, peregrinis acipenser nobilis undis*) excluduntur species Acipenserum, qualis est *sturio* aliaeque, minores in Hadriatico tantum Mari habitantes.

Acipenser Ovidianus a Schmid determinatus est species, quae ab ichthyologis hodiernis appellatur *Acipenser stellatus*. Qui non invenitur nisi in Ponto Euxino Marique Asowanio et Caspico.

Etymon. Parum certum est. 8 explicaciones propositae sunt:

(1) **Salmasius** (1689: Claudio Salmasius, i.e. Claude Saumaise, Plinianae Exercitationes, Trajecti ad Rhenum 1689, p.941) nomen derivavit ex verbis, q.d. acutus et *pesna > *penna, pinna*, i.e. *pinnis acutis instructus*. Sed acipenseris non habent pinnas acutas.

(2) **Forcellini** (1771) etymo Salmasii allato addit: „...bene observavit Salmasius...nisi quod penna rectius crista, quam rostrum piscis dici videtur.“

(3) **Anonymous (s.a.)**: oci-, cfr *ociter*, (gr.) ὥκυς *celer, velox* et *pesna > *penna, pinna*, i.e. *pinnis celeribus instructus, celeriter natans*. At Acipenseris non celeriter natant.

(4) **Kirsch & Fordice** (1899): graece *akis*, apex, et *pente*, *quinq*ue, quod spectare videtur ad quinque series scutorum acrum, quibus corpus Acipenseris est obtectum.

(5) **Thompson** (1947): e graeco nomine piscis *akkipesios*, quod fortasse aequale est nomini aegyptio, q.e. *xipen-pennu* (Thompson 1947).

(6) **Marinelli** (1973) adnotat pinnam acipenseris caudalem in parte anteriore squamis ganoideis acribus esse obtectam, quae a gentibus indigenis adhibitae sint ad uncum hamatorium conficiendum. Si cauda acipenseris apprehensa geritur, his fulcris (squamis ganoideis) effici possunt dolores inexpectati. Itaque *Marinelli* partem nominis, quae est -*pens-* derivat a ppp. Verbi temporalis pendendi, q.e. *pensum*, i.e. *onus*. –

(7) **Delamarre** (2003): conicit hoc nomen piscis esse originis celticae: **aci-pen-sera* (*Xavier Delamarre: Dictionnaire de la langue gauloise*. 2. Auflage, editions errance, Paris 2003). Tria etyma partialia sunt fortasse: *aci-* (dissim. ex *aci-*) „angulis/mucronibus acribus instructus“, *penno* „caput“ und *serra* „falu, sicilis“. Si haec etyma conveniunt, totum nomen valet: „(piscis) instructus aciebus acutis, capite, quod est tam incurvum quam falx“. Nomen esse potius celticum quam Latinum, verisimile est, quod hoc genus piscium in Latio defuisse videtur. –

(8) **Guasparri** (2000) aliter explicat originem nominis piscis a nobis hic tractandi: Ante rostrum quattuor cirri interdum arrecti, tenues (planati) dependent, quos Guasparri comparat cum acibus – *acupensis* est secundum hanc explicationem „piscis, in cuius parte anteriore cirri deorsum pendunt“ (*acuum pensum*). *Pensum* specialiter significat attributionem alicuius copiae – hoc in casu attributionem acuum. –

Familia *Acipenseridarum* est familia archaicorum piscium osseorum magnorum aut permagnorum. Qui vivunt in Europâ, Asiâ boreali centralique, Americâ boreali. Plerique sunt pisces marini, qui migratoriis anadromi ad ova parienda ascendunt in flumina. Per exceptionem *Scapirhynchus* et *Acipenser fulvescens*, qui degunt in Americâ boreali, et *Acipenser ruthenus* semper manent in aquâ dulci. Acipenseridae praecipuè nutriuntur bestiis invertebratis, species eorum autem duae maxima, si adultae sunt, praecipuè aliis piscibus. – Notum est acipenseridas parere *caviarum*.

Acipenser sturio. In numerum notarum archaicarum *sturionis* refertur pinna caudalis *heterocerca*. Idem piscis hodie valde raro invenitur in Mari Atlantico boreo-orientali. Ultimae regiones eius ova parienda sunt in *Gironde*, i.e. aestuario Francogalliae austro-occidentali. Videtur adhuc restare populationem *Acipenserum sturionum* in Ponto Euxino, quae fertur ova parere in *Rioni* flumine Colchidis. *Acipenser sturio* longitudinem assequitur 3,4 metrorum et pondus plus 300 chiliogrammarum. Eius color variatur a fusculo-viridi usque ad caeruleo-nigrum; latera sunt lucidiora. *Acipenser sturio* persimilis est *Acipenser oxyrincho*; haec species difficiles sunt inter se distinctu.

Conspectus. Statura similis est canis marini, pinna dorsalis est in remoto loco posteriore. *Sturio* est quinque seriebus longitudinalibus scutorum osseorum. In utroque corporis latere est una series 24-40 scutorum lateralium, quae sunt perangustè posita et partim unum alterum obtegmenta. Accedunt duas series scutorum ventralium et una series scutorum dorsalium, quibus insunt tubera.

Nutrimenta. *Sturiones* nutrimenta in fundo aquae devorant. Quae sunt praecipuè varii vermes (*Annelida: Aphroditida, Tubifex, Nephtys, Stylaroides*), mollusca, cancri (cammari, Carcini maenades, amphipoda) necnon larvae culicium et pisciculi. Adhuc saeculo 19. in Mari Germanico et Baltico numerosi sturiones fuerunt in Mari Germanico atque Baltico, in Atlantico et in fluminibus idem in mare influentibus, qualia sunt Rhenus, Albis, Visurgis, Vistula. Destructione circumiectorum et fluminibus regulandis vectione navali necnon piscatione exaggerata factum est, ut *Acipenserum sturiones* in Germaniâ ubique interirent.

Disquisitionibus geneticis inventum est populationes *Acipenserum* in Mari Baltico fluminibusque in idem mare influentibus non constitisse et sturionibus, sed e *oxyrhynchis*. *Sturio* enim iam ante 1200 vel 800 annos rarescebat. Causa huius rarescentiae fuit deminutio temperaturarum aquae Maris Baltici inter spatium temporis glaciale minus (16. - 19. saeculum); sturio eget insigniter maioribus temperaturis quam *oxyrhynchus*. Eidem enim iam sufficit temperatura 13 graduum Celsiusorum.

A.2010 decretum est, ut Acipenser sturio ad litus Maris Germanici fluminaque in idem mare influentia denuo vivere posset (*Consilium actionis nationale*, quo curatur Acipenser sturio tutandus et servandus). Iam curatur, ut *Acipenser oxyrhynchus* in Viadro et Mari Baltico novas sedes acciperet.

Acipenser ruthenus est altera species familie *Acipenseridarum*. Cum idem sit 40-100 cm longus, *ruthenus* est gracili corpore et rostro infra positio et protensibilis. Color eius fundamentalis est obscurè griseus vel fuscus, eius venter est flaveolus vel albus cum nitore rubro. Rostro leviter sursum incurvato subest series transversa 4 cirrorum fimbriatorum, qui pertingunt usque ad marginem rostri anteriorem. Corpus *rutheni* obtexit quinque seriebus laminarum ossearum, 11-17 scutis dorsalibus coloris eburnei acri pectine unoquoque instructis et 60-70 scutis lateralibus, qui pertingunt a radice caudali usque ad operculum branchiae. 16-18 laminae osseae positae sunt inter pinnas pectorales et ventrales. Cuti insunt squamulae perparvulae. Pinna caudalis *rutheni* est – talis qualis omnium *Acipenseridarum* – heterocerca, i.e. asymmetrica; in eâ pinnâ pars superior longior est inferiore. Pinna dorsalis et analis sunt in corporis ultimâ parte quartâ.

Huso huso. Hic piscis est omnium *Acipenseridarum* maximus et habetur pro uno ex piscibus osseis maximis. Idem invenitur in Ponto Euxino et Mari Caspico et in fluminibus, qui in illa influunt necnon prius etiam inveniebatur in Mari Hadriatico septentrionali. *Huso* more tradito praesertim capit ad caviarum fabricandum, sed etiam ad comedendum. Propter piscatum immodicum et amissionem locarum ad ova parienda aptarum haec species *Acipenseridarum* hodie in periculo est, ne intereat. – **Conspectus.** *Huso* statuâ est *Acipenseridarum* longitudinali typicâ, instructus est quinque

seriebus scutorum osseorum et pinnâ caudali heterocercâ. In comparatione aliorum *Acipenseridarum* hic piscis est corpore solido atque compacto. Quae bestiae sunt colore obscurê-griseo vel caeruleo-griseo, ventre lucidiore, scutis osseis. Rostrum *husonum* Ponti Euxini est relativê breve et lâtè rotundatum, Maris Caspici magis longitudinale. Sicut in *Husone daurico* ôs est formae semilunaris tamque latum, ut pertingat usque ad marginem rostri. Ôs *husonis* contra ac ôs *Acipenserum* porro aperitur et quattuor cirri ante idem siti sunt e latere planati et fimbriati. Membranae branchiarum utriusque lateris sunt inter se coniunctae et in latere ventrali liberae. Nassa branchiarum instructa est 17-36 spinis. Contra ac *Huso dauricus* punctum dorsi sumnum positum est post primum scutum dorsale. 9-17 scuta dorsalia sunt rotundata, post pinnam dorsalem 48-81 radiorum nulla scuta sunt. 28-60 scuta lateralia inter se seiuncta sunt aut bene visibilia aut paene sunt scuta absorpta. Idem valet ad 7-14 scuta ventralia, quae in *husonibus* iuvenilibus insigniter apparent. Cutis scutis interposita maximam partem est nuda. Inter ânum et pinnam analem 22-41 radiorum posita sunt nullum aut tria scuta. - Longitudo *husonum* puberum variatur inter 185 et 250 centimetra. At hae bestiae multo longiores fieri possunt, sed longitudines ab aliis auctoribus aliter indicantur. Plerumque indicatur longitudo summa 5-6 metrorum et pondus maximum unius tonnae. Ab institutione »FishBase« indicatur pondus maximum 2072 chiliogrammorum. Traditae nobis sunt relationes saec.19. scriptae, in quibus refertur de *husonibus* etiam maioribus, longitudinis 8 metrorum et plus trium tonnarum; tales autem relationes interim in dubium vocatae sunt. - Habitatio *Husonis husonis* complexa erat Pontum Euxinum et Mare Asowanum et Caspicum et Hadriaticum et flumina cum illis confluentia. - At interim haec species e Mari Hadriatico et Asowiano evanuit. In Ponto Euxini ultimi *husones* migrant ad ova parienda in Danubium, in Mari Caspico, in fluvios montium Uralianorum. Propter longaevitatem *husonum* singula individua adhuc inveniuntur in regionibus, ubi proles non iam potest propagari. Ne umquam absint *husones* in flumine *Wolga*, curatur novis individuis imponendis. - In Danubio haec species prius adhuc usque ad Austriam inveniebatur, rarius etiam usque ad Germaniam; eo ipso huso fuit *Acipenserida* anadromus, qui migravit per spatium omnium maximum (per summum 2320 chiliometra). Loca ova pariendo omnium praestantissima sita erant prope limitem hungarico-slovacum. Tota regio distributionis propter aggeres *officinae electricae Portae 1 et Portae ferreae 2* a.1972 et 1984 constructos quodammodo absecta est. Regiones Danubii, ubi *husones* ova pariebant, a.2003 adhuc prope limitem bulgarico-dacoromanici inter oppida *Lom* et *Artschar* observatae sunt. Loca ova pariendo sita erant in profunditatibus aquae, quae fuerunt inter 9 et 22 metra, in silice et harenâ crassâ, in regionibus fluctûs insignis, saepe prope insulas fluminis. - **Modus vivendi.** *Husones* sunt contra ac plerique alii *Acipenseridae* venatores activi, qui in aquâ liberâ in profunditatibus plus 170 metrorum venantur et praecipiê nutruntur aliis piscibus; inter quos pisces *Clupeiformes*, velut *Engraulis encrasiculus* in Ponto Euxino et species generum, q.s. *Clupeonella* et *Alosa*, in Mari Caspico et *Gobiidae* sunt praeda eorum principalis. Praeterea etiam mollusca variaque animalia crustacea devorant nec desunt relationes de avibus aquaticis vitulisque marinis ab *husonibus* captis et degluttitis. Ad ova pariendo *husones* immigrant in flumina. In Danubio *husones* originaliter usque in regionem germanicam ascendebant. Qui ova pariunt tertio aut quinto quoque anno. Migrare possunt per totum annum, sed tempus migrandi principale a mense Octobri usque ad mensem Novembrem et in mensibus Februario et Martio. *Husones* autumno migrantes hiemant in locis fluminis profundis et unâ cum vernali tempore migrantibus ova pariunt mensibus ab Aprili usque ad Iunium. Femina summum 7 miliones ovorum parit locis profundis et in fundo lapidoso et fluctu forti. Pisciculi post 8-10 dies exclusi fluctu agitantur secundo flumine, idque per spatium summum 60 chiliometrorum in die. *Husones* iuveniles per septem vel octo dies vitello nutriti 3 ferê centimetra longi incipiunt praedari larvas piscium. Aestate iidem praecipiê versantur in aquâ fluminis vadosâ et primo iam anno mare assequuntur, ubi manent usque dum pubescant. Mares pubertatem assequuntur aetate decem, summum 16 annorum, a feminis aetate 14 vel summum 20 annorum. Computatum est *husones* 4 metra longos esse centenarios. - **Usus.** *Huso huso* praecipiê capiebatur propter ova ad caviarum fabricandum adhibita, quae secundum nomen speciei russicum veneunt sub nomine *caviari Belugani*. Ad hoc accipiendum feminae ova pariendo causâ migrantes in regione orum fluvialium capiuntur. Caviarum *Beluganum* pro tam bono habebatur, ut chiliogramma eiusdem a.2009 circiter 8000 dollariorum constaret. Praeterea caro *husonum* praecipiê in mari captorum adhibetur. Propter ova maximê aestimata coluntur etiam hybridae, qui ab *husonibus* feminis et maribus *Acipenseribus ruthenis* inter se commixtis geniti appellantur *optimi*. - **Romani** *husonem* venabantur, qui ante 2000 annorum sat saepe inveniebatur in aquis Danubii, retibus, quibus studebant *husonem* agitare in aquam vadosam. Itaque Romani fuerunt primi omnium piscatores, quos *husones* cepisse complura metra longos nobis traditum est. - In testimonii monasterii Benedictinorum Fuldensis vetustis *huso* in Danubio superiore captus maturê iam refertur fuisse unam ex annuis donis a *Vivilone* episcopo Passoviensi (739-744/745) et a *Gaubaldo* episcopo Ratisbonensi oblatis, quibus 400 ferê monachi victimum sustentabant. Etiam postea usque in saeculum septimum decimum *husones* monasterio Fuldensi dono dati sunt. Nec defuit *huso* in Alcmonâ (*Altmühl*) fluvio Danubii secundario. *Megingoz* episcopus (991-1015) *Henrico I.* episcopo Heripolitano (995/996-1018) *husones* misit in Alcmonâ captos, ut remuneraretur bonum vinum acceptum. More traditum etiam erat vesicam *husonis* natatilem adhibere ad glutinem fabricandum. Talis gluten habebatur pro optimo et adhibebatur a vinitoribus et textoribus sericariis, tonsoribus, coryphaeisque artis coquinariae medicinalisque. E vesica *husonis* natatili in arte populi religiosâ etiam conficiuntur opera ectypi filigrana, quae appellabantur imagines vesicae *husonum* (*Hauchbilder* sive *Hausenblasenbilder*). **Caviarum.** (persicê: خاویر Xāviār) sunt ova purgata atque salita variarum specierum familiae *Acipenseridarum*, quae praecipiê capiuntur in Ponto Euxino et Mari Asowiano et Mari poli borealis et Mari Caspico. Species frequentissimae

sunt *Acipenser ruthenus*, quae est minima, *Acipenser baerii*, *Acipenser gueldenstaedtii*, necnon *Huso huso*, quae est species omnium *Acipensidarum* maxima. Caviarum interdum appellatur *aurum nigrum*. Talia ova usque nunc plerumque accipiebantur *acipenseridīs* mactandis, quia ova nonnisi immatura stabiliora erant, quam ut tela gonadum subtilis salitione destrueretur. Secundum methodum ipsius AWI (*Instituti Alfredi Wegneri Investigationis Polaris et Marinae*) ex a.2014 caviarum fabricatur ex ovis, quae accipiuntur non *Acipenseridīs* necandis, sed destringendis. Interea ipsum AWI concedit ubique terrarum permissions methodi ova stabiliendi, ut produci possit caviarum pretiosum ex ôvis, quae *Acipenseridā* vivo destringendo accepta sunt.

acrocōlēfium, -ī n.

168

Knie (des Pferdes) – stifle – grasset – babilla - grassella

est genu, artus genū equi

ThLL 01,433,73-77: **acrocōlefium**, i n. [tractum esse videtur a vocabulo gr. ἄκροκωλύφιον vel -κωλοίφιον non tradito. cf. c. *colyphium*. Th.] CHIRON.1,45 si quod iumentum coxam fregerit aut acrocolefia aut supragambam. VEG.mul.3,1,2 ab acrocolefio ad gambam ossa duo. v. *acrum, acrocolium, acron*.

Forcellini, p.59: ĀCRŌCŌLĒFĪŪM, ii, n. 2 est vocabulum compositum, ab ἄκρος summus, et κόληψ suffrago, cuius deminutivum est κωλήπιον, et significat partem pedis a suffragine summa; *acrocolia* vero sunt in infimo porci pede. Ita recte Schneiderus interpretatus est locum Veget.6.Veter.1.2 Ab acrocolefio usque ad gammam (ossa) duo; a gamba usque ad cirros tibiales duo etc. ibid. interpretes.

James Noel Adams, Pelagonius and Latin veterinary Terminology in the Roman Empire, 1995, p.401: “**acrocōlefium, -ī n.** “When describing the structure of the hind-leg, Vegetius moves from the *acrocōlefium* (stifle) to the gamba (hock), and from there to the cirri tibiales...”.

acrōmia, -ae f.

168,174

Widerrist - withers - garrot - cruz - garrese

Otto Güthling, Langenscheidts Großwörterbuch Deutsch-Lateinisch, Teil II Deutsch-Lateinisch, Berlin 1918, p.699: “Widerrist m. beim Pferde: acromia f.” - cfr Liddell-Scott, Greek-English Lexicon, p.58: ἄκρωμία, ḥ, ...in a horse, *withers*, X(enophon) Eq.(De equitandi ratione 1.11...)

Acromia est transitus a collo ad dorsum exaltatus animalium quadrupedum (mammalium). Quae constat ex longis processibus spinosis primarum vertebrarum pectoralium, in quibus etiam oritur ligamentum nuchae. In equidis (equis, asinis eqs) infra et supra ligamentum nuchae sunt bursae synoviales. - Altitudine acromiae indicatur magnitudo equi aut canis, quia acromia capite demisso est punctum corporis altissimum ideoque est aptus locus mensurandi. Magnitudo solet mensurari taenia mensoria aut baculo mensorio. At hoc non valet ad bovem; in eo mensura magnitudinis corporis est altitudo ossis sacri. In nonnullis consemniis equorum transitus a collo ad acromiam cognosci potest loco depressiore; qui theodisce appellatur „Axtthieb“, i.e. *ictus asciae*.

acrōmīum, -ī n.

201

Akromion – acromion – acromion – acromion

cfr Liddell-Scott, Greek-English Lexicon, p.58: ἄκρωμία, ḥ, point of the shoulder, acromion process, Hp.Art.I4...άκρώμιον, τό Hippocrates, Art.I6...” J.G.H.M.P., Lexicon anatomicum latino-germanicum, Lipsiae & Longosalissae 1743, p.7: “Acromium est processus scapulae superior. G. Der obere Theil des Schulterblatts, die Schulterhöhe oder das Haupt der Schulter.”

Acromion est processus ossis, punctum scapulae altissimum. In parte mediale, i.e. versus partem corporis medium, acromion articulatione acromioclaviculari cum clavicula coniunctum est.

acrōtērīon, -ī n.

499,500

Akroterion – acroterion – acrotère – acrotera – acroterio

ThLL 01,434,52-61: acroteria, -ōrum n.pl., ἄκρωτήρια. 1 VITR.5,12,1 *portus* naturaliter si sint bene positi habeantque acroteria sive promunturia procurrentia. CIC.Att.5,12,1 *graece scr.* ἄκρωτήριο οὐρη. LIB.geneal. (chron.min.I) p.188,510 fugerant a facie eius in acroterium (VULG.iud.9,51 turris excelsa. πύργος ισχυρός). 2 GLOSS. ligatura (*sic*), ligamenta, ligatio (*sic*) articulorum. VITR.3,5,13 membra omnia, quae supra capitula columnarum sunt futura, id est...tympana fastigia acroteria, inclinanda sunt in frontes suae cuiusque altitudinis parte XII. 3,5,12 acroteria angularia..., mediana. nota: LIB.gloss. Acrotilia articula. v. *Man, PW I* 1208.

Forcellini: ĀCRŌTĒRĪŪM, ii, n. 2. ἄκρωτήριον, Graeca vox, quae significat summitem, extremitatem, verticem cujuscumque rei (It. sommità, cima, punta; Fr. sommet, extrémité; Hisp. cima, cumbre, extremidad; Germ. das Aeusserste einer Sache; Angl. the top, ridge, height, summit of any thing). Occurrit autem fere semper in num. plur. ¶ 1. Acroteria dicuntur terrarum prominentiae vel cornua a Vitruv. 5. 12. 1. Portus naturaliter si sint positi, habeantque acroteria, sive promontoria procurrentia. ¶ 2. Idem Vitruvius 3. 5. 11. et seqq. acroteria enumeravit inter membra ea, seu ornamenta, quae supra capitula columnarum ponuntur, ut sunt *epistylia, zophori, coronae, tympana, fastigia, acroteria*, etc. *Baldus in Lex. Vitruv.* docet, intelligendas esse stylobatas, quae supra fastigia columnarum ponuntur, et parvas statuas sustinent. Alii intelligunt ipsas parvas statuas, seu sigilla, quae iisdem fastigiis imponuntur, v. g. capita leonina, aut humana, item integrae imagunculae, et alia hujusmodi ornatus gratia. *Salmas. ad Spartiani Pescenn.* 12. ¶ 3. Eodem loco Vitruvius cum *angularia acroteria* dixit, videtur significasse hujusmodi imagunculas, seu ornamenta in angulis fastigii posita, eaque tam alta esse jubet, quantum et tympanum medium, quod Ital. dici putamus *il frontispicio*; Fr. fronton; Germ. Vorsprünge; Angl. *the frontispiece*: cum vero *mediana* appellavit, notasse creditur ea, quae in medio ejusdem fastigii sunt collocata, quaeque octava parte altiora esse debere ait, quam sunt angularia....

Acroterium (graecē: τὸ ἀκρωτήριον, i.e. angulus summus, apex) est ornamentum architectonicum, quod adhibetur ad culmen aedis coronandum. Si architectus acroteriis utitur ad partes tecti obliquas exeuntes in angulis fastigii exornandas, eadem appellantur acroteria angularia.

Acroterion saepe invenitur in antiquis templis graecis et etruscis et romanis et in stelis sepulchralibus. Originaliter acroterion fuit orbis circularis ex argilla confectus et colore impictus, velut in Heraeo Olympensi, postea etiam etiamque ornatius et uberior excolebatur, plerumque imagunculis plantarum adhibendis, velut *acanthi* et *palmulae*. Praeterea inveniuntur acroteria prorsus plastica formae vasorum, tripodum, monstrorum fabulosorum, velut *grypis* et *sphingis*, sed etiam acroteria figurarum humanarum – velut *Nicae* et *Amazones*. Exempla aedificiorum antiquorum acroteriis exornatorum sunt *priscum templum Apollinis Delphicum* aut *templum Asclepii Epidaurense*. Aetate antiqua acroteria – sicut etiam alia membra aedificiorum – variis coloribus ornata. Acroterium semper impositum est *arcae* lapideae, quo aequantur partes tecti obliquas. Acroteria etrusca partim ornata erant figuris. Acroterium etiam in architectura *renascentiae artium*, in *classicismo*, in *historismo* adhibebatur. Nequaquam solī in aedificiis publicis inveniebatur, sed etiam erat in usu architecturae profanae.

ācta diurna

590

Zeitung – newspaper – journal – periodico - giornale

ThLL 01,1409,54 s.v. ago -1410,16 *7 a c t a d i u r n a: a Vrbis* (DIO.CASS.57,12,2 τὰ δημόσια ύπομνήματα. 57,23,2 τὰ κοινὰ ύπομνήματα): CIC.Att.3,8,3 dum acta mensis Mai ad nos perferantur (epist.9,16,4 *al.*). 6,26 habebam acta urbana usque ad Nonas Martias. Epist.2,15,5 de Ocella parum...scripsisti et in actis non erat. 10,1,2 acta omnia mitti ad te (11,25,1. 12,8,1 ex actis, quae ad te mitti...scio, cognosse). 10,28,3 res urbanas actaque omnia ad te perferri. 12,22,1 perscribi 12,23,2 rerum urbanarum acta. 12,28,2 in re p. quid agatur, credo te ex eorum litteris cognoscere , ad te acta debent perscribere. VAL.MAX.2,9,4 nostrae urbis acta commemorare *nota*: SEN.benef.2,10,4 beneficium in acta non mitto (*i. non mando publicandum actis Vrbis, cf. l.80*). 3,16,2 *nulla sine divortio acta sunt. ASCON.Scaur.p.19 B. ut in actis scriptum est.* Mil.p.32,44 *acta...totius illius temporis persecutus sum. ibid.* relatum in actis illo die nihil. 47,49, PETRON.53 actarius, qui tanquam urbis acta recitavit. PLIN.nat.1ind.8 ex auctoribus: Muciano, Proculo, Verrio Flacco..., Trog, actis, Columella eqs. *similia saepius*. 2,147 lateribus coctis plusisse in acta eius anni relatum est. 7,60 in actis temporum divi Augusti inventur...immolasse. 7,186. 8,145 actis p. R. testatum (10,5). QVINT.inst.11,3,17 iam vulgatum actis quoque: 'saucus pectus'. IVV.2,136 fient ista palam, cupient et in actorum spargere gaudes argumenta viri. TAC.ann.3,3 diurna actorum scripture. 12,24 *id.* facile cogniti et publicis actis perscriptum. 13,31 res inlustres annualibus, talia (*i. memoria minus digna*) diurnis urbis actis mandare. PLIN.epist.5,13,8 leges ipsum *principis librum*: est in publicis actis. 7,33,9. 9,15,2. nobis...rusticis urbana acta perscribe. Paneg.75 quae vos, patres conscripti...inpublica acta mittenda et incidenta in aere censuistis. SVET.Iul.20 primus...instituit, ut tam senatus quam populi diurna acta confierent et publicarentur. Tib.5 in fastos actaque in publica relatum est. Cal.8,36 in acta...referri. SOL.1,29 consulatu eorum olympias septima et ducentesima actis publicis adnotata est. 33,14 quod...actis...urbis continetur. VOPISC.Prob.2,1 v.p.1408,75 LAMPR.Comm.15,4 omnia...actis urbis indi. Alex.6,1 ex actis urbis: *seq.verba CAPITOL.Gord.4,8 publicis actis eius nomen insereret. b imperatorum, privatorum, al. (ephemerides):* PLIN.epist.3,8,11 habes acta mea tridui (*narravit, quae tribus diebus egerit*). SVET.Dom.20 praeter commentarios et acta Tiberi Caesaris nihil lectitabat. AVREL.ad Front.p.70,17N. Tridui acta mea ad te...possum dimittere. CASSIOD.var.11,22 *inscr. de scriariario actorum in textu: Castellum nostra auctoritas...actorum scriarii curam preecepit obtinere* (ab actis *v.intra*) DARES 44 sicut acta diurna *belli Troiani* indicant, quae Dares descripsit. **8 v a r i a:** TAC.dial.37 haec vetera, quae...a Muciano contrahuntur, ac iam undecim ...actorum libris et tribus epistularum...edita sunt (v. PW I 295). PLIN.nat.pr.2 ut in quedam acta exeat *epistula nostra* IVV.7,104 quis dabit historico, quantum daret acta legenti?

ācta diurna n.pl. syn. **ephēmeris**, -idis f.

Acta diurna nostrā aetate est collectanea textuum, quae periodicē publicantur et spectant ad res praesentes et universales. Insunt complures textus conclusi, qui appellantur symbolae vel relations actorum diurnorum. Eduntur etiam acta diurna interretialia.

Historia. *Acta diurna Fuggeriana* circa annum 1589 exorta continebant singula folia a variis hominibus missa, in quibus relationes scriptae erant. Collectiones foliorum mittebantur subnotatoribus. Haec Acta diurna Fuggeriana a Katrin Keller e. al. usque ad a.2016 in Universitate Vindobonensi collecta et ad rationem digitalem redacta sunt.

Prima collectio nuntiorum digna, quae nomine actorum diurnorum appellarentur, fuit *Relation aller Fünnemmen und gedenkwürdigen Historien*. Quae acta diurna a *Iohanne Carolo* condita sunt et ex secunda aut tertia septimana m. Septembbris a.1605 semel in septimana Argentorati in Alsatia edita sunt.

Prima acta diurna, quae revera cottidie edita sunt, condita sunt a.1650 Lipsiae. Quidam typographus nomine Timotheus Ritzsch m.Iulio a.1650 primum omnium publicavit *Die Einkommenden Zeitungen*. Quae edebantur sex diebus in septimana. A.1703 primum editum est *Diarium Vindobonense*, i.e. *Acta Diurna Vindobonensis*. Quae sunt acta diurna totius orbis terrarum vetustissima, quae adhuc editur. - Acta diurna frequentissima facta sunt saeculi vicesimi prima parte dimidia. A.2011 in Germania fuerunt 390 acta diurna, quorum 369 editi sunt cottidie et 21 septimanatim.

*actinia, -ae f.

135

Seeanemone – anemone – anémone – anémona - anemone

Otho Fridericus MÜLLER, Zoologia danica seu animalium Daniae et Norvegiae rariorum ac minus notorum .. Hauniae 1789, p.9: "ACTINIA VARIANS. ACTINIA laevis, incarnata, aut cinereo virescens, cirrorum basi albida, ore plicato".

Actinia sunt bestiae marinae invertebratae, forma cylindri, 6 radiis instructae, semper solitariae, quae inveniuntur ab aqua vadosa usque in abyssos. *Actinia* est genus, quae spectat ad familiam *Actiniidarum* et ad ordinem *Actiniariorum* et ad classem *Anthozoorum*. Ordinis participes sunt plus 1200 species, quarum 60 vivunt in aquis europaeis.

***actīnia, -ae f.**

258

Kiwi – kiwi, chinese gooseberry – kiwi – kiwi - kiwi

Fructūs complurium specierum generis *Actinidiae*, familiae *Actinidiacearum* nomine vulgari appellantur *Kiwi* aut *grossularia sinica*. Omnes hae species oriundae sunt ex Asiā orientali. Hodie in tabernis et supermercatibus veneunt species, quae sequuntur:

- *Actinidia deliciosa* – quae species nobis fert maximam partem fructuum *Actinidiae* generis (nomen mercatorium: „Kiwi“).
- *Actinidia chinensis* – nomen mercatorium: „Kiwi Gold“.
- *Actinidia arguta* – species gelus patiens, fructus parvi, nomina mercatoria „Kokuwa“ et „Weiki“ et „Maki“.
- *Actinidia kolomikta* – species gelus patientissima, sed ad culturam commercialem parum apta, quia fructus sunt nimis parvi et celeriter decidunt.

Fructus actinidiae primo apud nos appellatus est *grossularia sinica* („chinesische Stachelbeere“, cfr angl. „chinese gooseberry“). *Actinidia* oriunda est ex regione fluminis Sinarum boreo-orientalium, cuius nomen est Jangtsekiang. In silvis ibi sitis *actinidia* crescit robusta planta lignea arbores scandens. Nomen *Actinidiae chinensis* originalis sinicum fuit *Yang Tao*. At hoc nomen historicum saec.19. usitatum in sermone Sinensium hodierno vix adhibetur. Periculum est, ne confundatur cum *Averrhoa carambola* (*Yang Tao*, 杨桃). Nomen *actinidiae*, quod hodie in Sinis et Taivania omnibusque in terris sinophonis plurimum adhibetur, est *Mi Hou Tao* pro *actinidiis* indigenis (猕猴桃) et *Qi Yi Guo* pro importatis (奇异果). *Fructus actinidiae* a.1904 a magistra quadam in Sinis versata in Neozelandiam est introductus ibique magis magisque gratior facta est. A.1952 *Actinidia deliciosa* incepta est exportari ex Neozelandia primo in Angliam, ubi in mercatu fructuum insolito comprobabatur, et mox etiam in Europam continentalē et Americam borealem est exportata. A.1959 Londinii *actinidia* est appellata „Kiwi“, secundum nomen avis neozelandicae. In Germania annis septuagenariis exeuntibus et ineuntibus annis octogenariis *actinidiae* fuerunt poma gratissima. Spatio annorum, qui fuerunt ab a.1972 usque ad a.1981, consumptus horum fructuum a 900.000 *actinidiis* exauctus est ad 85 miliones. Tamen alii aliter senserunt de qualitate *actinidiarum*: Wolframus Siebeck coquus televisorius et criticus gastronomiae de *actinidia* iudicavit severissime istum fructulum esse molliculum atque insipidum, immo omnino inutilem.

***actīniū, -ī n.**

814

Actinium - actinium – actinium – actino – attinio

cfr Liddell-Scott, s.v. : ἀκτίς, -ίνος (ī longum!). -

Actinium est chemicum elementum radioactivum, eius symbolum est Ac, numerus ordinis est 89. In systemate elementorum periodico *actinium* inest gregi IUPAC tertio, i.e. gregi scandii. Hoc elementum est metallum particeps periodi septimae. Secundum hoc elementum denominatus est grex actinoideorum, quae sunt 14 elementa idem sequentia. *Actinium* a.1899 ab *Andrea Ludovico Debierne* inventum est *pissuranitam* perscrutato; idem chemicus Francogallus *actinio* primum adscripsit similitudines *Titanii* aut *Thorii*; nomen elementi propter eius radioaktivitatem derivavit a voce graeca, q.e. ἀκτίς i.e. *radius*. A.1902 *Fridericus Giesel* inventionis Debierneanae ignorans idem elementum invenit et scripsit idem simile esse *Lanthano*; appellavit elementum *Emanium*, verbo Latino *emanandi* usus ad radios ab hoc elemento emissos alludens. Cum a.1904 chemici cognoverunt *Actinium* et *Emanium* esse idem elementum, praelatum est nomen Debierneanum, quia Francogallus elementum prius invenit quam Germanus.

***actīnoīdea, -eōrum n.pl.**

814

Actinoide, Seltenerdmetalle – actinides (rare earth) – actinides – actinidos (tierras raras) – attinidi

Actinoidea (i.e. elementa *Actinio* similia; graece: desinentia -οειδής „similis“) est nomen gregis elementorum chemicorum systematis periodici inter se similiū. In huius gregis numerū referuntur *Actinium*, *Thorium*, *Protactinium*, *Uranum*, et transurana q.s.: *Neptunium*, *Plutonium*, *Americium*, *Curium*, *Berkelium*, *Californium*, *Einsteinium*, *Fermium*, *Mendelevium*, *Nobelium*, *Lawrencium*. Omnia elementa actinoidea sunt metalla.

āctor, -ōris m.

542

Schauspieler - actor – acteur – actor - attore

ThLL 01,446,7-41, s.v. *actor*: *2 qui fabula agit*: PLAVT.Bacch.213 non res sed actor mihi cor odio sauciāt. TER.Haut.12 me actorem dedit, si (sed Ac) hic actor tantum poterit a facundia. Phorm.10 actoris opera magis stetisse quam sua *fabulam*. 33. ACC.did.14 actoribus manuleos, baltea, machaeras. VARRO ling.5,178. 6,58. 6,77 a poeta fabula fit, non agitur, ab actore agitur, non fit. CIC.div.in Caec.48 ut in actoribus Graecis fieri videmus, saepe illum, qui est secundarum aut tertiarum partium, cum possit aliquanto clarius dicere, quam ipse primarum, multum summittere.

Sest.116 ille maximus ludius non solum spectator, sed actor et acroama. 118.121.de orat.1,118 *nullae lites cogant homines sicut in foro non bonos oratores, item in theatro actores malos perpeti.* 1,128 vox tragoedorum, gestus paene summorum actorum est requirendus in *oratore* 1,156. 2,34. 2,194 neque actor sim alienae personae sed auctor meae. 3,102 rep.4,13 Aristodemum tragicum item actorem. Ad Q.fr.1,1,46 tamquam poetae boni et actores industrii solent. HOR.epist.2,1,204 quibus oblitus actor cum stetit in scaena ars 193 actoris partis chorus officiumque virile defendat. OV.rem.756 quid caveas actor quid (qua R) iuvet arte docet. LIV.7,2,8 *Livius suorum carminum actor* (VAL.MAX.2,4,4). 7,2,12 actores Atellanarum. 24,24,2 Aristoni cuidam tragico actori. VITR.5pr.4 a[u]ctorum pronuntiationes 5,7,2 tragicci et comici actores in scaena peragunt. SEN.epist.115,15 populus ad eiciendum et actorem et carmen consurrexit. QUINT.inst.2,10,13 actores comici. 11,3,4 scaenici (6,1,26). 11,3,74. 11,3,178 maximos actores comoediarum (3,8,51). PLIN.epist.7,17,3 quae (tragoedia) non auditorium, sed scaenam et actores...lyrica quae non lectorem, sed chorūm et lyram poscunt. SVET.Calig. In Laureolo mimo, in quo a[u]ctor propriō se sanguinem vomit. GELL.11,9,2 fabularum. APVL.met.2,26. SCHOL.Iuv.1,35 mimicus 3,177 mimorum. AMBR.Hel.13,47 tragoediarum. AVG.civ.2,11 scaenicos actores earundem fabularum. Ibid. tragicum. 2,14 deorum infamantur actores, honorentur auctores. Ibid. poeticarum fabularum (2,13). 2,27. 2,29 actores criminum divinorum. MART.CAP.5,543 quo (gestu) scaenae placere videntur actores. PS.ASCON.div.in Caec.p.119B. CARM.epigr.411,3 <quar>tarum in mimis saltantibus utilis actor.

āctor, -ōris m.; syn. histrīō, -ōnis m.

Actor sive histrionis est artifex, qui loquelā et vultu et gestibus in scaenā aut in cinemate aut in emissione televisoriā personam gerit.

āctrīx, -īcis f.

543

Schauspielerin – actress – actrice – actriz - attrice

syn. ***histrionissa**, -ae f. cfr Girolamo Fiorentini, Comoedio-crisis sive theatri contra theatrum censura, Lugduni 1675, p.278: «vocem histrionissae mulieris audire, nocentius est animae quam corpori, audire vocem basilisci».

Actrix sive histrionissa est mulier artifex, quae loquela et vultu et gestibus in scaena aut in cinemate aut in emissione televisoria personam gerit.

āctus, -ūs m.

968

Satz – set – manche – manga - set

Holzer, Societas Latina 1938, p.21: comprehendit VI ludos

Actus ludendi in rebus athleticis dicitur pars lusus. Praecipue in generibus athleticis foliariis et pilaribus, e.g. in teniludio, lusus dividitur in singulos actūs. In teniludio actus est finitus, si lusor primus sex lusūs vicit.

actūs poenālēs

933

Fouls, Strafen - fouls, penalties – fautes, pénalités – faltas, penalizaciones – falli, penalità

Actus poenalis in rebus athleticis est actus, quo athletes transgreditur normam sive regulam ludendi. Si qui lusor inter lusum negligit officia sua propria aut iura adversarii, si ratione illicita impedit lusorem adversarium. Plerisque in generibus lusus athletici propter actum poenalem lusus ab arbitro interrumpitur. Pro regulis ludendi et gravitate actus poenalis lusor punitur. Poenae sunt commoda manipuli adversarii, e.g. in pedifollo pulsus sive iactus liber,puncta poenalia aut poenae personales additiciae, quales sunt charta flava (monitio), charta rubra (exclusio), poena temporis (exclusio temporalis).

aculeus, -ī m.

142

Stachel – sting - aiguillon – aguijón - pungiglione

ThLL 01,456,76: **aculeus**, -ī m. ... (lin.82sqq.) **1 proprie: A bestiarum:** GLOSS. κηφίνος μελίσσης σκορπίων, quo pungunt apes et vespae aliaque animalia eiusmodi. **1 insectorum:** COLVM.1,5,6 infertis aculeis armata...animalia, quae in nos densissimis examinibus involant. PLIN.nat.11,96 *insecta* quae aculeis in alvo armantur (*ibid.* cui telum in ore) illis...ultionis causa datum est, his aviditatis. 97.100 quibusdam aculeus ...in ore (*ibid.* in cauda spiculum) 165 dentium vice...insectis. 173 quibus in ore fistulosus, his nec lingua nec dentes. 20,133 araneorum, apium, crabronum, vesparum. **apium:** CIC.Tusc.2,52 apis aculeum sine clamore ferre non possumus. SEN.clem.1,19,3 COLVM.9,10,1 PLIN.nat.11,27,52.58.60 aculeum apibus it natura, ventri conseratum, ad unum ictum (cf. 1.15). 173. **vesparum:** PHAEDR.app.29,8...**crabronum:** PLIN.nat.11,74. ...**muscaram:** PLIN.nat.11,100 hebetes neque ad punctum, sed ad suctum. HIER.vita Pauli 3 AVG.c.Iul.op.imp. 4,129. SVET.vita Verg.p.58 Reiff *culicis:* (cf. CVLEX 184 acumina. 186 *telo*). **in imagine:** CIC.Flacc.41 mortuus est testis aculeo iam emiso ac dicto testimonio (cf. p.458,23). LIV.23,42,5 te (Hannibalem) ad unum modo ictum (cf. 1.9) vigentem velut aculeo emiso torpore. CVRT.4,14,13 quae (*temeritas*) ubi primum impetum effudit, velut quaedam animalia emiso aculeo torpet. AMM.17,4,11 *Aegyptii* per...speciem apis...indicant regem, moderatori cum iucunditate aculeos quoque innasci debere..ostendentes...

Aculeus apum venenosus est aculeus defensorius. Qui evolutione phylogenetica procedente exortus est ex apparatu ova pariendi. Itaque semper tantummodo feminae, i.e. apes reginae et operariae, habent aculeum. Fuci, i.e. apes masculinae, non possunt pungere. - *Symphyta*, quae sunt vespae, quarum larvae in plantis vivunt, aculeo utuntur ad plantas pungendas, in quibus ova deponant; *Ichneumonidae* ovum corpori imponunt alicuius bestiae hospitis. Vespa, quae ab entomologis appellantur *Spheciformes*, aculeo utuntur ad bestiam veneno imbuendam, ut debilitetur. Deinde ova bestiae imponunt, ut postea larvae exclusae bestia vivente sed debilitata se nutritant. At apes aculeo non utuntur nisi ad se defendandas. Hoc maxime valet ad apes mellificas et bombylios civitatem suam defendantes. Cum autem aculeus apis

mellificae uncis instructus sit, adhaerescit in cute hominis alteriusque animalis sanguinis calidi impuncta, ut apis moriatur. Uno ictu apis mellificae 0,1 milligramma veneni sanguini hominis infunduntur. - A plerisque apibus feris aculeus non adhibetur nisi eaedem sentiunt sibi periculum imminere, e.g. si digitis comprimuntur. Plerumque punctus apium ferarum non magnum dolorem efficit neque est periculosus, nisi homo est allergicus. Aculei *Hylaeorum* et *Andrenarum* infirmiores sunt, quam ut pervadant cutem humanam. In terris tropicis sunt apes aculei expertes (*Meliponini*), quae se defendunt mordendo et substantiis secernendis.

acūpictūra, -ae f.

565

Stickerei – embroidery – broderie – bordado - ricamo

ThLL 01,468,40-42: **acūpictūra**, -ae f. CAES.AREL.reg.ad virg.42 (Migne 67,1116) plumaria et acupictura et omne polymitum ...numquam in monasterio fiant. cf. acupictus sub acus I4. Klotz.

syn. **ars *acūpictōria** [Vilelmus Smits: Liber Exodi, Vulgatae editionis, versione Belgica, Antverpiae et Amstelodami, a.1760, Index III rerum memorabilium: **acūpictoria ars**. - cfr Assertiones Medicae, Fasciculus secundus, Wirceburgi 1602, p.29: **ars** scriptoria, pictoria, vitripectoria, **acūpictoria**, statuaria, etc.]

Acupictura est ars fabrilis, qua materia (materia textilis, corium, charta) filis pertrahendis aut insuendis exornatur. Sunt permulta rationes variae acu pingendi.

Historia. - A Sinensibus acupictura antiquitus colebatur neque ignota fuit antiquis Indis et Aegyptiis. Cum iidem acu pingentes nondum figuras delineaverunt nisi geometricas, Assyri primo figuras bestias hominumque in vestimentis et aulaeis acu pinxerunt. Ab iis Graeci, a Graecis Romani acupicturam didicerunt, quorum postremi eam appellabant *opus phrygium*. Eadem ars media aetate in monasteriis colebatur ad vestimenta sacerdotalia, praesertim paramenta, confienda. – Rara exempla, quale est germanicum amiculum Imperatoris coronandi, sunt testimonia summae artis acupictoriae. Una cum cultura animi etiam acupictura paulatim venit in manus saeculares. Primo in Anglia, deinde in Burgundia saec.14. haec ars summum florem assecuta postea paulatim usque ad aetatem nostram delapsa est, ubi nunc in quibusdam officinis artificiosis colitur cum cura subtili, e.g. in Berolinensi officina *Bessert-Nettelbeckiana*. – Mirum genus acupicturae et rarum fit capillis humanis adhibitis, quibus propter tenuitatem et laevitatem et fulgorem eximum fabricari possunt opera, quae ipsa serica aequant subtilitate sua. Acupictura capillaris adhuc in Sinis exercetur, ubi ante plus 1300 annorum in provincia *Jiangso* exorta est. Relatum est saec.19 capillos humanas adhibitos esse ad acupicturas in Mexico necnon in Francogallia et Germania.

acus, -ūs f.

527,566,567,568,578,712,912

Nadel – needle – aiguille – aguja – guglia

ThLL 01,468,68 **acus**, -ūs f. et m... 469,7 sq.: *I i.q. ράφις, βελόνη instrumentum*: CIC.Scaur.20 neque acu quaedam enucleata argumenta conquiram (cf. HIER.adv.Ruf.3,42 linguam veriloquam criminali acu confoderunt). VARRO rust.1,48,1 arista, quae ut acus tenuis longa eminet e gluma. PLIN.nat.28,179 reperitur in latere leporis os acu simile. *1 pungendi figendique instrumentum*: CIC.Mil.65 quod (*vulnus*) acu punctum videretur...(lin.34) *2 crinium comedendorum instrumentum (discerniculum), quod hasta recurva est*. OV.fast.2,560...(lin.44) *3 crinium retinendorum ornandorumve instrumentum*...(lin.60) *4 suendi instrumentum*...HYG.fab.274 Belone prima acum reperi quae graece βελόνη appellatur. PACIAN.epist.3,2,5 vestis sinu plicante subsuitur aut acu inserente reparatur. ... (lin.62) *apud medicos*: CELS.5,26,23 quo saepius acus corpus transsuit. 5,26,24 extrema pars eius (*fasciae*) inferioribus acu adsuenda est. ... (lin.72) *praecipue in arte phrygionia*: TITIN.tog.4 frygio fui...reliqui acus aciasque ero et erae (cf. PETRON.76 v. *infra* p.470,33). VERG.Aen.9,579 pictus acu chlamydem 11,777 pictus acu tunicas et barbara tegmina crurum. OV.met.6,23 seu pingebat acu *Arachne* scires a Pallade doctam. SEN.Herc.O 665 nec Maeonia distinguit acu, quae Phoebeis subditus euris legit Eois Ser arboribus. PLIN.nat.8,196 acu facere id (*vestes pingere*) Phryges invenerunt. VAL.FL.2,410 *Hypsipyle* servati genitoris conscientia sacra pressit acu currusque pios. 6,526 barbarica chlamys ardet acu. SIL.7,79 ferimus...pulchrum...et acu et subtegmine fulvo, quod nostrae nevere manus, venerabile donum 15,427 *antrum* acus simulavit in ostro. MART.8,28,17 Babylonus picta superbae texta, Semiramia quae variantur acu. 14,150 victa est pectine Niliaco iam Babylonus acus. 9,13,3 nomen Acidalia meruit quod harundine pingi, quod Cytherea sua scribere gaudet acu. LAMPR.Heliog.27,4 ita ut de acu aut de textili pictura exhiberentur mantelia. CLAVD.8,590 auget acu meritum picturatunque metallis vivit opus. Pros.1,247 hic elementorum seriem sedesque paternas insignibat acu. CORIPP.Iust.1,280 subiectasque ordine gentes pictor acu tenui multa formaverat arte. CARM.epigr.1150 pictor acu...notus in arte sua. *fort. huc pertinet fere acu pictus cf. acupictura*: AVG.quaest.in hept.II 177,11 (exod.27,16) *tegumen de hyacintho et purpura et coco neto et byssio torta, varietate acu picta. ibid. ut velamen opere acu picto quattuor illis coloribus variaretur.* 177,12 et 18. ISIS.orig.19,22,22 acu picta vestis, acu textilis vel acu ornata eadem et Phrygia. (470,14sqq.) *5 varii usus instrumenta: ...laxandi texta...findendi folia papyri...* (470,31sqq.) *6 proverbialiter*: PLAVT.Men.238 si acum credo quaereres, acum invenisses, si appareret, iam diu. Rud.1305 tum tu mendicus es? Tetigisti acu. PETRON.76 ab acia et acu mi omnia exposuit. MART.8,71,10 nonus *annus* acu levius vix coeleare tulit (*vix spectat ad acus, -eris*). VVLG.Math.19,24 facilius est camelum per foramenta acus transire (Marc.10,25 Luc.18,25). IVVENC.3,524. HIER.epist.120,1 cf. 123,15 per angustias acus transire poterant. al. ...

Acus est instrumentum fabrile tenue et longitudinale ex materia dura fabricatum (prius ex ossibus, hodie plerumque metallo), apice finali instructum. Acus appellantur etiam aliae res, qui sensu laxissimo forma et usu sunt simili.

Acus *uncinulata in parte finali instructa est uncinulis, quibus filum recipitur et per maculam trahitur. Cum verbum temporale uncinandi iam exstet (spectat ad pisces uncino capiendos), artem vestimenta acu uncinulata texendi ausim nomine novato appellare ***uncinulare**, artem autem substantivo verbali ***uncinulationem** (i.q. theod. *häkeln*, angl. *to crochet*, fr. *faire du crochet*, hisp. *hacer ganchillo*, ital. *fare al uncinetto*. Ut tria exempla fingam: *Mater infant iacculum *uncinulavit*. - *Filius dono accepit thoracem laneum *uncinulatum*. *Studentes in auditorio universitatis inter*

acroasin taedio audiendi affecti tibialia uncinulabant. Cara Lectrix, care Lector, quid tibi videtur de hoc verbo novato deque sententiolis exemplaribus? Placentne?

Acus sutoria instructa est ea parte finali, quae est apici adversa, instructa est foramine. Talis acus utilis est ad duas materias filo inter se coniungendas, plerumque textiles. Haec actio denominatur *suere*. *Acus sutoriae* etiam adhibentur ad acupicturas conficiendas. Homo suens primo filum sat longum (quod dicitur *acia*, cfr proverbium PETRON.76: *ab acia et acu mihi omnia exposuit*) per foramen acus movet (raro etiam nodo eidem affigitur). Haec actio simplicior fit **infilaculo*, i.e. instrumento infilandi adhibito. Deinde duae materiae eo loco una alteri imponitur, quo oportet filo connectantur secundum lineam, quae postea fiet sutura. Tum apice acus in lineae initio utraque materia perpungitur et filum paene totum per utramque materiam trahitur. Nunc compluribus ictibus acus huiusmodi vicissim primo ab uno deinde ab altero latere secundum suturam materiae percussae inter se coniunguntur. - Iterum iterumque fit, ut acus sutoriae aut fragmenta earum negligentia in corpus humanum invadant ibique maneant. Multi homines hoc non animadvertunt nisi apud medicum, qui acum invenit in imagine radioscopica. Si hoc fit, cogitandum est de ablatione operativa. - *Acus sutoriae* saeculis prioribus variis e materiis componebantur; annis sexagenariis et septuagenariis saeculi proximi praeteriti adhuc adhibebantur acus e metallis inter se ligatis fabricatae, e.g. ex nicolo et chromio et aliis allergogenis. - **Acus triangulata**, vel acus pellionis, non est capite rotundo, sed triangulato. Quia eadem materia non extenditur, sed dissecatur, suturae manuales eadem confectae minus sunt durabiles. *Acus triangulata* non adhibetur nisi in materiis pelliceis, quae constant ex corio crassissimo ideoque perdifficiles sunt perpunctu. Annis prioribus talis acus a pellionibus adhibebatur imprimis ad pelles carpentiarorum ponderosas et opertoria pellicea (velut ursina) suenda. Pelliones Hungari utebantur acibus triangulatis, quas laborantes iterum iterumque acuebant, ut suerent amicula sua agnina *bundas* appellata, quae erant densissime et uberrime acu picta. At cum pelliones inciperent uti levioribus pellibus agnorum generis Merino, non iam potuerunt suere acu triangulata, quia ictibus eiusdem corium tenere discinditur. Quia hodie praeferuntur coria leviora et molliora, oportet desistere ab acu triangulata adhibenda. - In re nautica, si panni velorum manu consuuntur, sartores adhibent acus triangulatas, sed acies aerum sunt obtusae. - Instrumenta suendi manualia sunt *digitabula* et *anuli sutorii*. *Acus sutoriae* et *acus capitatae* reconduntur *pulvinis sutorii* et *arcula sutoria* et *patina magnetica*.

**GLOSSARUM
ORBIS PICTI HEXAGLOTTI
PARTEM QUARTAM
CONSCRIPSIT
LEO LATINUS**

CHRONOGRAMMATA DEMMINGIANA

LEGERE
PAVPERES AC TORTAS REPETIT|ONES
SALTEM S.V.V. TAEDET NVNC ESSET NECESSE
CESSARE

HDF

Kurz und bündig zum 15. Januar 2022

MOLIÈRE
POETA FRANCOGALLICVS
HODIE ANTE OCTOGINTA LVSTRA PARISII NATVS

Jean-Baptiste Moliere, französischer Dichter, wurde heute vor 400 Jahren geboren.

HDf

In der Spielzeit 2014/15 habe ich den eingebildet Kranken in meiner niederdeutschen Übersetzung aus dem Urtext im Kleinen Haus des Theaters Münster gespielt. Münstersche Grüße!

CHRONOGRAMMATA ROESSLERIANA

Jean-Baptiste Poquelin
alias
Molière

* 15. Januar 1622 in Paris
† 17. Februar 1673 in Paris

Q V A D R I N G E N T I S A N N I S A N T E
XVIII K A L . F E B R V A R I A S L V T E T I A E N A T V S
 IOANNES BAPTISTA POQVELIN ALIAS MOLIERE
 H I S T R I O ATQVE EGREGIVS POETA S C A E N I C V S

M M X X I I

D E S M O N D T V T V

E V I T A E G R E S S V S

M M X X I

Heinrich Schliemann

* 6. Januar 1822 in Neubukow

† 26. Dezember 1890 in Neapel



QVATER QVI NQVAGINTA ANNIS ANTE
VIII IDVS IANVARIAS NATVS
 HENRICVS SCHLIEmann
 ARCHAEOLOGVS NOBILIS
INVENTOR VRBIS TROIAE AETATIS AENEAE

MMXXII

Am 6. Januar vor zweihundert Jahren wurde Heinrich Schliemann geboren – der berühmte Archäologe und Entdecker des bronzezeitlichen Trojas.

Johannes Kepler

* 27.12.1571^{jul.} in Weil der Stadt – ab 1.1.2022 „Keplerstadt Weil der Stadt“
 † 15.11.1630^{greg.} in Regensburg



QVINQVIES NONAGINTA ANNIS ANTE
DIE SANCTI JOANNIS EVANGELISTAE
VVILAE NATVS
JOANNES KEPLERVS
INSIGNIS ASTRONOMVS ET PHYSICVS TEVTONICVS

M M X X I

Der große deutsche Astronom, Physiker und Naturphilosoph Johannes Kepler wurde am 27. Dezember vor 450 Jahren in Weil der Stadt geboren.

Johannes Kepler

* 27.12.1571^{jul.} in Weil der Stadt – ab 1.1.2022 „Keplerstadt Weil der Stadt“
 † 15.11.1630^{greg.} in Regensburg



IOANNES KEPLERVS
SACERDOS **L**IBRI NATVRAE
BONVS ASTRONOMMVS ET PHYSICVS TEVTONICVS
 ANTE QVINQVIES NONAGINTA ANNOS
VI KAL. IANVARIIAS NATVS

M M X X I

Am 27. Dezember vor 450 Jahren wurde Johannes Kepler geboren.
 Der „Priester des Buches der Natur“
 war ein bedeutender deutscher Astronom, Physiker und Naturphilosoph.

HAEC CHRONOGRAMMATA ARTIFICIOSE COMPOSUIT
TOBIAS RÖSSLER

EXPERIMENTUM NECOPINATUM

Scripsit Urbanus Ferrarius Brasilianus

Oportet, antequam rem aggrediar, narrationis titulum explicem. Agitur de vero experimento, intra ipsam familiam nostram facto, quod ideo dico necopinatum, quia non mente consulta, sed movente fortuna occurrit. Subierunt experimentum parentes, qui, cum ex similibus condicionibus cœpissent, ægrotarunt et per dissimiles vias sanationem consecuti sunt. Considereremus ergo rem.

Prope oppidum Planaltinam dictum, quod a Brasiliapoli triginta passuum milia distat (id est quadraginta quinque chiliometra), in amœnissima villa parentes, quorum nomina hic nolo prodere, vivunt. Alter modo undesepatuaginta; altera septuaginta habet ætatis annos.

Ambo mense Iulio anni superioris (MMXXI) una adierunt stationem medicam, quæ Planaltinæ est, ut contra covidianum morbum per Astrazenecanum se munirent vaccinum: Calendis ergo Iuliis priori medicaminis portione; die autem duodecimo Calendas Augustas (id est die 21 Iulii), altera eiusdem medicaminis portione se munierunt.

Transactis vero mensibus fere tribus, mense Octobri, die XVI Calendas Novembres, quibusdam morbi covidiani iam premebantur signis, illius nempe morbi a quo credebant se protectos fuisse. Ex una parte cibi appetentia minuit; ex altera vero manebant dolores sive capititis sive corporis, manebat etiam febris. Quæ mala, ut moris est mulieribus, theanis potionibus aliisque medicamentis mater curabat sese: sic morbum potuit cohibere, ne ipsa in peiores incideret statum. Pater vero nihil curavit.

Tandem XI Calendas Novembres (22 Oct.), Veneris die, ante lucem pater e lecto surrexit quia magna cum difficultate animam ducebatur in pulmones. Deinde excitavit uxorem, quæ eum comitaretur ad valetudinarium publicum Planaltinense. Licet magno negotio spiraret, ipse tamen autocinetum moderatus est per milia passuum fere septem (10Km). Cum pervenerunt, pater ibi mansit ut ægrotus; mater autem ut comes ægroti. Paulo post ambo accesserunt ad covidianam testationem, cuius probam valetudinarium tradere solet soli ægroto, non comiti, qui debet adire stationem medicam ut requirat probam suam. Cum pater positive testaretur, medici suaserunt matri ut valetudinarium relinqueret domumque peteret.

Die sequenti (X Calendas Novembres) ipse matrem e valetudinario evexit domum; deinde redii ad valetudinarium ut cum patre manerem. Frater autem perrexit in villam, ut ibi maneret cum matre. Solis die, medici iussu, pater translatus est in aliud

publicum valetudinarium in media urbe Brasiliapoli, ubi cum eo mansi alios dies decem. Ergo ad summam pater duodecim dies mansit in valetudinario: duos Planaltinæ; decem Brasiliapoli. Neque tubis neque respiratis opus fuit illi, sed oxygenio utebatur quo commodius animam duceret. In alterutro valetudinario dum patrem sum comitatus, animadverti omnes ceteros ægrotos, qui covidiano morbo laborabant, iam esse vaccinis munitos.

In villa autem frater obtulit matri medicamenta quibus morbum covidianum depelli posse credebat, quorum nomina sunt uni Ivermectinum quod est antivirale, alteri Azitromicinum antibioticum. Medicamentis rite sumptis, mater, intra quattuor dies, e morbo recreata, facta est omnino sana. Interim ex medica statione frater detulit probam matris positivam. Sequentibus diebus ipsa aut ex me de mariti statu nuntios quærebat, aut ex ipso marito rem per telephonum audiebat.

Cum pater quoque iam recrearetur, neque ei adhuc oxygenio aut curis medicis opus esset, Postridie Calendas Novembres, Martis die, in commemoratione fidelium defunctorum, medica, quæ gradum tunc servabat, permisit, ut ipse valetudinarium relinqueret domumque rediret. Paucis post horis is, in villam reversus, cum coniuge tandem convenit, plenam salutis recuperationem domi ultiro prosecuturus.

Conclusio

Nolo cuiquam afferre medica præcepta, neque ex singulo experimento, quod occurrit intra familiam, puto me aliquam habere vim aut auctoritatem scientificam. Verumtamen illud, quod nobis evenit, aliquam meditationem non potest non suscitare circa illas res, quas diurnarii nobis indesinenter inculcant.

Primum, immunizationis medicamina, vel saltem illud Astrazenecanum, effectum illum optatum non afferunt, ut impediant quominus quis morbo covidianio capiatur; neque impediunt quominus morbus progrediatur in graviorem statum. Nam si pater, cum cœpit angusta respiratione laborare, longiorem faceret moram, aut domi aut in ipso ad valetudinarium itinere suffocatus moreretur.

Deinde, mentione dignum est, quod matura medicina plurimum valet. Etenim mater, antequam morbus posset in gravem statum progredi, mature aptis remediis auxiliata, in bonam rediit valetudinem citius quam pater. Ad morbum covidianum quod attinet, nonne videtur domestica et vulgaris curandi ratio efficacior breviorque fuisse quam illa valetudiniorum?

Scripsit Urbanus Ferrarius, V Idus Ianuarias, anno Domini MMXXII.

ECHUS VOCES ET EPISTULAE

PROF.EM. THOMAS PEKKANEN

d.08. m.Ian. a.2022 h.10:48 scripsit Tuomo Pekkanen:

Nicolao Gross s.p.d

Gratias tibi ago, quod in epistula Leonina meum natalicium carmen divulgavisti. Monendum tamen est de mutatione: scripsi "licta Galilaea", non "relicta Galilaea", quod rhythmum perturbat. Tibi tuisque felicissimum annum MMXXII exopto! Tuomo Pekkanen

Nicolaus Thomae sal.pl.

Gratias summas pro emendatione, quam proxima in Epistula Leonina indicabo. Utinam tibi quoque tuisque sit felix faustusque annus bis millesimus vicesimus secundus! Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.

VICTORIUS CIARROCCHI ITALUS PISAURENSIS

Victorius Nicolao,

indefesso vivae Latinitatis cultori ac propugnatori, s. p. d.

Gratias tibi ago singulares, optime Nicolae, pro Epistula Leonina 249, e qua non modo didici verba quaedam Italica (sub provincia c. t. "Glossae Orbis Picti Hexaglotti") mihi Italo antea ignota, verum etiam lexicon quoddam peropportune compositum "De latrinis secessibus sellisque familiaribus". In actis diurnis Italicis, quibus index 'Il Giornale', lector quidam se ipsum stupefactum et paene stomachatum quodam die fassus erat quia in prima pagina eorum diurnorum symbola de publicis latrinis Mediolanensibus edita esset. Indrus Montanelli (1909-2001), qui tunc ea acta diurna moderabatur, lectori respondit (die 20 Nov. 1990) cum alia tum haec: «Leo Longanesi (1905-1957), magister meus et aliorum diurnariorum, mihi cupienti in actis diurnis scribere, primo die dixit: "Visne diurnarius fieri? Bene. Incipe sic: fac investigationem de Urbis latrinis, quia ex ipsis, magis quam aliis e condicionibus, patet quinam sint mores cuiusvis Civitatis". Magistro illi semper fui et sum gratus». Pancratice valeas, Nicolae.

Nicolaus Victorio sal.pl.

Summas gratias, Victori carissime! Gaudeo te iam accuratē perlegisse Epistulam Leoninam novissimam. Rogo, ni quid obstat, ut omnes stribilinges quas inveneris, occasiunculam nactus mihi indices. Quomodo nunc te habes? Utinam novum annum bonis omnibus incohaveris. Docta studia tua humaniora animum tuum e dolorosis muginandi paludibus abducant ad aquas Nympharum limpidissimas, Musarum montem et viridaria amoenissima. Sequere Thomam a Kempis, qui dicit: "In omnibus requiem quaesivi et nusquam inveni nisi in angulo cum libro". Unā exspectemus, bone Victori, quid novus annus nobis allaturus sit: gustemus eiusdem cornu copiae et

saturam lancem: dulcibus gaudenter fruamur, amara perferamus patienter. Fortes Fortuna adiuvat. Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.

DR.GAIUS LICOPPE NESTOR ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE

Nicolaus Gaio sal.pl.dic.

s.v.b.e.e.v.

Utinam Tu et Francisca valeatis quam optimê, utinam Novum Annum faustis omnibus incohaveritis; optima quaeque vobis exopto. Accepistisne Epistulam Leoninam 249? Gratias tibi ago, quod Iohanni Knijff permisisti, ut symbolam suam tibi iam pridem missam divulgaret in Epistulâ Leoninâ. - Interim muginari non desino de glossis exarandis. De nomine instrumenti cuiusdam technici liceat te aliquid rogare: Quale tibi videtur esse "anemometrum"? Estne instrumentum velocitatis venti mensurandae (i.e. meteorologicum) an est instrumentum aeronauticum velocitatis aeroplani mensurandae? Quatenus usque nunc invêni, videtur esse vocabulum ambiguum. Cogito anemometrum appellandum esse instrumentum meteorologicum, sed aeronautico instrumento velim nomen imponere, q.e. "*aerotachometrum, -i n." - Quid tibi videtur? Novus annus certê non semper facilis erit superatu; animo curioso exspectemus, quid nobis sit allatus. Gustemus eius cornu copiae vel saturam lancem. Dulcibus gaudenter fruamur, amara perferamus patienter. Pancraticê valete et pergit mihi favere!

d.09. m.Ian. a.2022 h.12:55

Gaius Nicolao optimo s.p.d.

Raptim tibi respondeo, cum mihi vix supersit otium; Theodericus enim a me modo petivit ut acroasin pro Academia facerem die 29 huius mensis, sed mihi vix superest satis temporis ad eam ex nihilo parandam. Anemometrum est vocabulum ambiguum, designat enim duo instrumentorum genera, primum meteorologicum ad celeritatem venti mensurandam, alterum ad celeritatem aeris velocitate aeroplani generatam metiendam. Dicam Latine: anemometrum (meteorologicum) et anemometrum volaticum; noli vocabulum difficile intellectu eligere. Et tibi uxorique tuae, annum faustum et felicem! Cura ut valeas.

Nicolaus Gaio sal.

Gratias tibi ago pro faustis votis responsoque prompto. Anemometrum volaticum Glossis inscribam. Utinam acroasis tua procedat feliciter! Vale semper, Nicolaus.

URBANUS FERRARIUS BRASILIANUS

D.09. m.Ian. a.2022 h.17:20 scripsit Urbano dos Santos Ferreira:

Salve, Leo noster Latine! Spero te bene valere salvumque esse. Mitto tibi brevem narrationem cuiusdam inopinati experimenti quod occurrit intra ipsam familiam meam. Utinam totus MMXXII annus tibi sit pace, libertate prosperitateque plenus. Valeas tu, valeantque tui. Urbanus

Leo Urbano sal.pl.

Summas gratias tibi ago pro vota et pro symbola, care sodalis! Libenter symbolam publicabo. Accepistine EL 246 - 247 -248 – 249? In annum novum tibi quoque optima quaeque! Utinam superemus omnes difficultates vinculo Latinitatis fortissimo inter nos coniunctissimi! Pancratice vale et perge mihi favere.

Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus

CORRIGENDA ET SUPPLENDIA

- 1). EL 249, 12: lin. paenult.: **Magnam** (non: -um) Mundi Reinitiationem
- 2). EL 249, 12: nota 2): **Magna** (non: -us) Mundi Reinitiatio
- 3). EL 249, 8, stropha 2, lin.3: **licta Galilaea**
(non: **relict**a Galilaea, corr. poeta ipse, cfr ep.08.01.22)

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipue disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non éditur in domunculā Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicē »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimē electantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et caraē. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; caraē sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumerās, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA ΕΙΣ AEI.

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. manda- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAЕ	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-	TESTAMENTUM	Henricus			CD-	7 pp.	€ 17,50

		938905-09-8	REYNERI BERLBYN	van den Lande de Raelt	-----	2004	ROM pdf		
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD- ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenma tt	Nikolaus Gross	2005	CD- ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptman n	Nikolaus Gross	2005	CD- ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD- ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD- ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ	Nikolaus Gross	-----	2006	CD- ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD- ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 –	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90

			Libri audibles						
27	0050 6A	978-3- 938905- 26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibles	L.A. Seneca	----- ----- --	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- ----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	0020 7A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	----- ----- --	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**



**HANC EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM QUINQUAGESIMAM
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



**Die Mercurii
19. m.Ian. a.2022**



**Dr. Nicolaus Groß
LEO LATINUS
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**